

INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

Sr. Wohlgebh. Herrn Professor
Müller vom Verf.

4[illegible].

C. Müller.
Ex libr. C. O. M.
fr. dil.

Brunet,
II. 718-719 -
id: VI. 3363

DIOGENES APOLLONIATES.

CUIUS DE AETATE ET SCRIPTIS DISSERUIT,
FRAGMENTA ILLUSTRAVIT, DOCTRINAM
EXPOSUIT

FRIDERICUS PANZERBIETER,

MEININGAE IN GYMN. BERNHARDIN. COLLABOR.

LIPSIAE 1830.
SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI.

PRAEFATIO.

Quum menti humanae insita sit insatiabilis quaedam veri cognoscendi et perscrutandi cupiditas, qua universum et divinarum et humanarum rerum complectitur orbem; singulari hoc summi numinis beneficio, quo maius, imo divinius nihil generi nostro concedi poterat, ipsius proprium esse videtur, ut, quandoque locum aliquem pervestigandum occupaverit, inchoatum et mancum relictum minime ferat, sed in eo penitus eruendo non prius acquiescat vel ad novi quiddam trahi se patiatur, quam, omnibus partibus peragratis reconditisque angulis face velut ardente perlustratis, totum eius ambitum emensa sit. Cuius rei exemplorum plenam esse quum universam artium liberalium, tum inprimis philosophiae historiam, neminem nisi litterarum plane rudem atque ignarum fugere potest. Namque, ut ea tantum attingam, quae huius potissimum loci sunt, quum, philosophiae studio in Ionia nascente paulloque post laetius efflorescente, primus ille et princeps philosophorum ordo, Thalete duce, omnem

suam in rerum origine et interitu exquirendo collocasset operam: mox eo deducta res est, ut Heraclitus Ephesius cuncta semper nasci tantum et interire, continuo velut et irrequieto flumine quodam agitata, contenderet, esse vero et constare concederet nihil quicquam: quo facto hanc quidem rationem ad summum, quo pervenire poterat, fastigium esse elatam, facile, si paullo accuratius rem pensitaveris, intelliges. Sed eodem fere tempore exstiterunt Eleatici philosophi, qui, plane his oppositam in philosophando viam ingressi, rerum universitatem, omni motu omnique mutatione privatam, esse et constare dictitarent: quo quid maius in hoc genere dici possit, equidem non video. Atque hi quidem omnes unum rerum principium ponebant; Leucippus contra et Anaxagoras innumera quaedam corpora esse statuebant, neque orta unquam neque interitura, quorum aut concretione aut secretione singulas res et oriri et interire putabant: ille quidem atomos, omni, praeter figuram, soliditatem et gravitatem, qualitate destitutas; hic homoeomerias, variis ab aeterno tempore qualitatibus ornatas. Quum vero ne sic quidem res plane confecta omnibusque numeris absoluta esse videretur; — restabat enim, ut contrariae rationes in unam coniungerentur sententiam; — ecce, non deerant, qui hoc ipsum periclitarentur novasque inde sententias conderent, Diogenes Apolloniates et Empedocles, unum uterque initium ponens, ex quo plura quaedam simplicia corpora oriri censeret, unde cetera nascerentur. Ita tandem, gravissima illa de rerum ortu et interitu quaestione, in quam primi

isti philosophi inciderant, non solum mota, sed tractata etiam et exhausta, obstabat nihil, quo minus ad nova indaganda sese converterent philosophorum studia.

Inter varios autem, de quibus modo dixi, antiquiorum physiologorum conatus quum mentis natura forte inventa rectiusque paullatim considerata atque intellecta esset, ut, qui tunc in philosophia occupati erant, non possent, quin curiosius de ea re agerent: duplex fere patuit via, qua incederent. Primo enim fieri potuit, ut, pristina huius rei tractandae ratione, qua mentem corpoream et concretam esse, solaque a ceteris rebus qualitate differre statuebant, servata, omne studium in admirabili eius ac plane singulari vi et virtute, quam in rerum exercet naturam, diligentius indaganda atque uberius explicanda ponerent; quod a prioribus philosophis aut omnino neglectum erat, aut obiter et velut in transitu tactum. Tum vero iam eo in mentis cognitione progressi erant, ut a corporea natura eam avellere et separatim possent tractare. Quarum quidem alteram viam Diogenem Apolloniaten ingressum videmus, alteram Anaxagoram; atque hoc modo, quae tum quidem in ipsis huius rei incunabulis de mente tradi poterant, occupata erant omnia.

Sed ad Diogenem pervenio Apolloniaten, de quo hic libellus conscriptus est, non eum quidem insigni famae celebritate conspicuum, sed doctrinae, quam excoluit, natura non minus, quam ceteri, qui in eodem philosophiae genere laudantur, memorabilem. Quid? quod ipsius sententia, arctissimo cum reliquorum physiologorum studiis

vinculo coniuncta, communem sane et maxime necessariam totius philosophiae Ionicae partem continet, ut quaecunque de hac philosophorum familia enarratio, in qua aut neglectum aut praetermissum videas Diogenem, manca censenda sit ac mutila.

Quare, quum plerique, qui in historia philosophiae perscribenda versabantur, aut plane negligerent Diogenem, aut, quum post Anaxagorae tempora eum fuisse putarent, non tanti eius doctrinam aestimarent, quanti esset aestimanda, si quidem sero ipsis venire videbatur: haud exiguum profecto Schleiermacheri, viri eximii, in historiam philosophiae meritum est, quod primus ille nostrorum studia in Diogenem magis convertit, sententiaeque ab eo excogitatae pondus et momentum clarius, quam a prioribus omnibus factum erat, demonstravit. Attamen non hoc erat viri summi consilium, ut, quae de Diogene dici possent, exhauriret omnia; neque Ritteri, viri clarissimi, qui postea in eadem re magna cum laude elaboravit, expositio ita comparata est, ut totam rem conficiat, sed ea, quae largam etiam aliis de Diogene disserendi materiam relinquat.

Quae quum ita sint, vix excusatione mihi opus esse videtur, quod iterum iam eandem hanc rem tractandam susceperim hoc libello, in quo omnia, quae de Diogene Apolloniate relata reperirem, collegi, disposui et pro viribus meis illustravi. Ante omnia autem agendum erat de aetate Diogenis accuratius definienda et de libris ab eo scriptis. Quamvis autem haec iam ante hos quinque annos

et amplius in peculiari quadam dissertatione tractaverim *); nunc tamen ea, quae tum exposueram, quum in multis non satisfacere viderentur, pleraque retractavi omnia. Tum inprimis fragmenta, quae e Diogenis libro περὶ φύσεως aetatem tulerunt, digna videbantur, quae maxima adhibita cura recenserentur atque illustrarentur, quum et pauca sint eius generis ex illis quidem temporibus servata, ut hac sola de causa singularem curam ac diligentiam sibi vindicare videantur; et multa etiam nunc in iis deprehendantur, quae nondum plane ad liquidum perducta sint. In his autem fragmentis magnas prae ceteris difficultates mihi attulit septimum, quod in venarum per corpus distributione exponenda versatur: in quo a me explicato quantopere artis peritorum venia indigeam, equidem sentio; sed intactum relinquere neque licuit, neque libuit etiam, quum tandem initium faciendum esset harum rerum accu-

*) De Diogenis Apolloniatae vita et scriptis dissertatio, quam, ut munus Collaboratoris in Gymn. Bernhardino rite suscipiat cet. scr. Fr. Panzerbieter. Meiningae. CIƆIƆCCCXXIII. — Huius dissertationis doctissimus *Wendtius* in adnotatione, qua Tennemanni libros de historia philosophiae nuper ornavit, rationem habere dignatus est, alia consensu suo approbans, alia, quorum et ipse maximam partem interim correxeram, rationibus haud contemnendis impugnans. Quo autem magis laetor de tanti viri assensu, eo vehementius mihi dolet, quod in singulis locis eius auctoritate uti non poteram, quum sero eius opus ad me adportaretur. Quanquam etiam sic pleraque ita disputata esse videntur, ut aut *Wendtii* sententia iis confirmetur, aut nostra defendatur. Idem mihi dicendum est de *Ritteri*, v. cl., libro, quem de universa historia philosophiae scripsit, cuiusque primam partem, quae nuper edita est, multo etiam post Wendtii opus nactus sum. Quare lectores monendi sunt, ut, quotiescunque Ritteri nomen sine titulo libri laudatum invenerint, de eiusdem historia philosophiae Ionicae accipiant.

ratius tractandarum. Laetabor, si quis artis anatomicae peritior hac mea qualicunque, quam in hoc loco illustrando posuerim, opera adducatur, ut diligentiore cura haec omnia retractare et emendare velit. Interim ea, quae ego dedi, facilius lector intelliget, si in auxilium vocare voluerit celeb. *Loderi* Tabulas anatomicas, additis iis, quae *Baerius*, Professor Regiomontanus, in praestantissimo libro, quem de Natura hominis scripsit*), exposuit atque in tabulis adumbrari curavit. Hos enim potissimum duumviros in explicando Diogenis fragmento secutus sum. Ceterum res ipsa postulabat, ut fragmentis ea etiam adiicerentur, quae aliunde de Diogenis doctrina nota essent.

Sed nolo esse longus. Mitto igitur de ratione dicere, qua omnia tractaverim: haec enim in singulis locis satis clare indicata esse videtur. Quo successu rem meam gesserim, alii iudicent, aequi huius libelli arbitri; quos, si me errantem deprehenderint, hominem me esse, secum cogitent, rogo. Quanquam hoc mihi licet affirmare, strenue me in omnibus dare voluisse, quod verum aut certe veri simile videretur. Unde, si quis meliora docuerit, primus ego cedam veritati. Scribeb. Meiningae mense Iulio MDCCCXXIX.

*) Vorlesungen über Anthropologie für den Selbstunterricht von Dr. C. Ernst v. Baer. 1 Theil mit 11 Kupfertaf. Königsb. 1824.

CONSPECTUS CAPITUM.

Cap. 1. *Diogenes*, *Apollothemidis* filius, *Apollonia*, florentissimo Cretae insulae oppido [1]), oriundus, iis adnumeratur philosophis, quos *φυσικοὺς* Graeci appellant. Itaque quum plerumque apud veteres scriptores aut *physici* aut *Apolloniatae* cognomine insigniatur, eiusque philosophia ita comparata sit, ut, ubicunque in eorum libris laudetur, a reliquis omnibus, qui hoc idem Diogenis nomen gerentes in philosophis famam assecuti sunt, etiam nullo addito cognomine, facile dignoscatur: longum profecto est, reliquos, qui sub eodem nomine obveniunt, hic percensere. Adeat *Diogenem Laërtium* VI, 81, qui horum recensum desideret, ibique *Menagium* p. 258.

Cap. 2. De aetate autem, qua fuerit Diogenes Apolloniates, in tanta, quae est in hac re, testimoniorum paucitate certi quid statuere difficillimum est, nec quaeri posse videtur, quo anno natus quove mortuus sit; sed id tantum agendum, ut in universum tempus definiatur, quo vixerit, et cum aetate eorum philosophorum conferatur, qui tempore ei proximi putantur. Ut vero ab eo disputatio ordiatur, quod in hac re certissimum est, apud *Stobaeum* [2]) quidem Diogenes praeter stellas, quas in

1) *Diogen. Laërt.* IX, 57. *Eudocia* Violar. s. v. Diog. phys., quae eadem habet: *Διογένης*, *Ἀπολλοθέμιδος*, *Ἀπολλωνιάτης*. Cf. quem ad Diog. Laërt. l. l. citat *Menagius*, *Stephanum Byzantinum* d. Urbib. p. 149. ed. *Berkel*: *εἰκοστὴ τρίτη*, *Κρήτης*, *ἡ πάλαι Ἐλεύθερα*, *Κλίνου πατρίς*. *Ἐκ ταύτης ὁ φυσικὸς Διογένης*. Sita haec Apollonia erat ad septentrionalem Cretae oram, vicina flumini Oaxo. Vid. *Sieber's* Reise nach der Insel Kreta. Vol. II. p. 268.

2) *Stobaei* Ecl. phys. I, 25, 1, p. 508 ed. *Heeren*, quem vide. *Theodoret.* Graec. affect. curat. p. 59 ed. *Sylburg*.

coelo conspicimus, alia etiam corpora lapidea, quae, quippe obscura, oculorum aciem effugiant, per aërem ferri, docuisse narratur: interdum autem fieri, ut in terram decidant; cuius rei exemplum esse lapidem illum ad Aegos flumen de coelo delapsum: *πίπτοντας δὲ πολλάκις ἐπὶ τῆς γῆς σβέννυσθαι, καθάπερ τὸν ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς πυρώδως κατενεχθέντα ἀστέρα πέτρινον.* Quo ex loco hoc clarum est, Diogenem de celeberrimo isto inter veteres lapide locutum fuisse: id, quod ostendit orationis ratio et nexus [1]). Atqui hunc lapidem Olymp. LXXVII. aut LXXVIII. ad Aegos flumen de coelo delatum esse constat [2]): ex quo sequitur, aut post haec tempora fuisse Diogenem, aut ea ipsa aetate, sed ita, ut vitam etiam ultra hunc annum produxisse putandus sit. Quorum quidem hoc probandum. Eo enim tempore, quo lapis decidisse fertur, vixit *Anaxagoras*, qui et ipse eius casum praedixisse perhibetur. Vid. Anaxag. fragm. ed. *Schaubach.* p. 41. ss. *Huius autem aequalis Diogenes Apolloniates fuisse traditur a Diogene Laërtio* IX, 57. [3]), et, quamvis hic auctorem huius rei nominatim non citet, nulla tamen de eius veritate dubitatio esse potest, quum ne unus quidem omnium, quotquot ad Diogenis aetatem constituendam faciunt loci, huic sententiae repugnet. Sed omnes, si accuratius res consideretur, in eodem consentire apparet. Namque ut omittam, quod *Sidonius Apol-*

---

1) *Theodoret.* p. 59, 2. *καὶ μάρτυρι χρῆται τῷ ἐν Αἰγὸς ποταμῷ πυροειδῶς κατενεχθέντι ποτέ.*

2) *Marmor. Par.* epoch. 58. p. 17. ed. K. Fr. *Wagner.* Gott. 1790. *ἀφ' οὗ ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ὁ λίθος ἔπεσε καὶ Σιμωνίδης ὁ ποιήτης ἐτελεύτησεν, βιοὺς ἔτη ἐνενήκοντα, ἔτη ΗΗΠ* (i. e. CCV) *ἄρχοντος Ἀθήνησιν Θεαγενίδου* i. e. anno 469 a. Chr. n. Ceterum alii alium in computanda temporum ratione calculum abhibentes, paullo diversum ab hoc praebent annum, ut *Plin.* hist. n. 2, 58. „Celebrant Graeci Anaxagoram Clazomenium Olympiadis septuagesimae octavae secundo anno praedixisse coelestium litterarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset e sole: idque factum interdiu in Thraciae parte ad Aegos flumen.“ Porro *Dionys. Halic.* p. 611. ed. *Sylb.* et *Diodor. Sicul.* XI. p. 453. ed. *Wessel.* Theagenidem Archontem fuisse tradunt Olymp. LXXVIII, 1. *Euseb.* contra in Chronic. habet annum Olymp. LXXVIII, 4.

3) *ἦν δὲ ἐν τοῖς χρόνοις κατὰ Ἀναξαγόραν.*

linaris 1) Diogenem Anaxagorae iunctum fuisse et collegam, disertis verbis dicit, itemque *Augustinus* 2) utrumque, et Diogenem et Anaxagoram, Anaximenis facit auditorem: illi etiam veterum, qui Anaxagorae Diogenem aetate postponant, hoc certe non voluerunt, ut eum tum demum exstitisse dicerent, quum dudum Anaxagoras mortuus esset, sed superstite eo et florente. Nam quum ab omnibus Diogenes in physicorum, quos vocant, numero habeatur, quorum series, quam isti scriptores tenent, a nemine ultra Socratis aetatem producta est; nullus profecto horum omnium, quos modo significavi, id sibi voluit, ut post Socratem eum fuisse contenderet. Iam quum Socrates natus sit 469 a. Chr. n., Anaxagoras vero mortuus 428 3), ita ut hos quoque aequales esse eluceat: vere omniumque consensu a Diogene Laërtio traditum esse patet, Apolloniaten Diogenem fuisse Anaxagorae temporibus. Socrate enim minor haberi nequit, ut demonstratum est.

Cap. 3. Quod quum ita sit, facile erit, refutare *Menagium*, qui *Smyrnaeum* quendam *Diomenem*, ipsumque alias *Diogenem* nuncupatum, quem Anaxarchus audiisse narratur, non alium, quam Nostrum fuisse suspicatur 4). Nam quum Diogenes ille Smyrnaeus ab aliis Nes-

---

1) XV, 89 ss. Quartus Anaxagoras Thaletica dogmata servat:
Sed divinum animum sentit, qui fecerit orbem.
Iunior huic iunctus residet *collega*, sed idem
Materiam cunctis creaturis aëra credens
Iudicat inde deum, faceret quo cuncta, tulisse. cet.
Nam de Diogene Apolloniate Sidonium loqui, vix dubitari potest. Collegam autem Anaxagorae eum appellat, eandem haud dubie, quam Augustinus, rationem amplectens et utrumque Anaximenis disciplina usum putans.

2) d. civ. Dei 8, 2. „Diogenes quoque, Anaximenis alter auditor, aërem quidem dixit rerum esse materiam cet." Alterum Anaximenis auditorem Anaxagoram dixerat.

3) *Schaubach* Anaxag. p. 2. coll. p. 53.

4) *Menagii* nota ad Diog. L. IX, 58. *Ἀνάξαρχος, Ἀβδηρίτης. οὗτος διήκουσε Διομένους, τοῦ Σμυρναίου* cet. haec est p. 423: „Corrige *Διογένους*. *Euseb.* de praep. ev. XIV, 17. *Ξενοφάνους δὲ ἀκουστὴς γέγονε Παρμενίδης, τούτου Μέλισσος· οὗ Ζήνων, οὗ Λεύκιππος, οὗ Δημόκριτος, οὗ Πρωταγόρας καὶ Νεσσᾶς, οὗ Διογένης, οὗ Ἀνάξαρχος.* *Epiphan.* adv. Haeres. III. *Διογένης ὁ Σμυρναῖος, κατὰ δέ τινας Κυρηναῖος, τὰ*

sae, ab aliis Metrodori Chii discipulus dicatur, hi vero Democriti auditores: quamvis in locis laudatis omnia mixta ac turbata sint: hoc tamen certum est, Smyrnaeum Diogenem post Democritum fuisse. Quum autem Democritus aetate aut paullo minor esset Diogene Apolloniate, aut certe aequalis, — natus enim est Olymp. LXXVII, 3 i. e. 469 a. Chr. n. teste *Thrasyllo* ap. Diog. L. IX, 41 — inter hunc vero et Diogenem Smyrnaeum alii etiam intercederent: alium esse Apolloniaten Diogenem, alium Smyrnaeum, manifestum est. Quod idem hac etiam computatione probatur. Nam Anaxarchus, uti dictum est, Diogenis Smyrnaei discipulus fuisse fertur: quod fieri nullo pacto potuisset, si idem hic fuisset ac Diogenes Apolloniates. Anaxarchus enim floruit circa Olymp. CX. i. e. 338 a. Chr. n. et deinceps sub Alexandri imperio [1]); Diogenem contra Apolloniaten Anaxagorae aetate fuisse constat, cuius mortem inter et Anaxarchi tempora nonaginta fere anni interpositi sunt: ex quo aegre tantum accidere potuisse intelligitur, ut Anaxarchus audiret Diogenem Apolloniaten. Diversus ergo hic fuit a Smyrnaeo isto sive Diogene sive Diomene. Quod idem postremo clare apparet ex *Theodoreto* (Graec. affect. cur. p. 22, 51. ed. *Sylb.*), qui, dum singulorum philosophorum singulas ἀρχὰς recenset, in quibus nominatim Diogeni Apolloniatae aërem tribuit, his utitur verbis: *καὶ Μητρόδωρος ὁ Χῖος καὶ Ζήνων ὁ Ἐλεάτης καὶ Διογένης ὁ Σμυρναῖος διαφόρους ἀρχὰς τῶν ὅλων ὑπέθεντο.* Unde liquet, longe utrumque diversum accepisse Theodoretum ab iis, quos ipse sequitur. Videtur ille Smyrnaeus fuisse sophista quidam, quod eo

---

αὐτὰ τῷ Πρωταγόρᾳ ἐδόξασε. *Clem.* Strom. I. *Δημοκρίτου δὲ ἀκουσταὶ Πρωταγόρας, ὁ Ἀβδηρίτης, καὶ Μητρόδωρος, ὁ Χῖος, οὗ Διογένης ὁ Σμυρναῖος, οὗ Ἀνάξαρχος.* Notandum autem, Diogenem Smyrnaeum a Laërtio hoc loco appellari, qui supra Apolloniates eidem dictus fuit: non enim diversi sunt Smyrnaeus et Apolloniates. Is et Cyrenaeus quibusdam dicebatur, teste Epiphanio loco citato.“ Praeterea cf. *Baile* Diction. s. v. Diogène Vol. II. p. 1005. not. A.

1) *Diog. Laërt.* IX, 58. ibid. *Menag.* p. 424.

magis probabile est, quum eadem ac Protagoras docuisse perhibeatur.

Cap. 4. Sed redeamus, unde egressi sumus. Quum aequales fuisse Diogenem atque Anaxagoram demonstratum sit, duae restant quaestiones tractandae: altera quidem levis et per se vix digna, in qua multis immoremur; uter eorum natu fuerit maior; altera vero gravissima in historia philosophiae, utrius ex his duobus prior philosophia exstiterit et in causa fuisse putanda sit, cur suam alter doctrinam sive inveniret sive inventam expoliret novisque adornaret argumentis. Quae quidem quaestiones quum per se spectatae satis diversae sint ac dispares; fieri enim potuit, ut, qui aetate quidem alterum praecederet, philosophia tamen et scriptis altero esset recentior; nunc tamen pro una eademque utraque habenda videtur. Nam ut omittam, quod ad priorem illam nec potest satis responderi nec opus est, quandoquidem, nisi ea exposita simul etiam posteriori satisfactum sit, ne minimum quidem eius momentum est: ipsos etiam veteres in hac re auctores, ubi Diogenem Anaxagorae sive postponunt sive praeponunt, non tam prioris illius quaestionis quam posterioris rationem habuisse clarum est. Successionem enim aliquam horum philosophorum fuisse statuunt; in qua quidem re non annos spectant, quibus alter altero sive maior sive minor sit; sed hoc agunt, ut ostendant, uter ab altero acceperit doctrinam eique in docendi successerit munere.

Cap. 5. Sed in singulos iam veterum scriptorum locos, qui ad hanc quaestionem dirimendam facere videntur, inquirendum est, ut suum cuique pondus et momentum tribuatur. *Post* Anaxagoram fuisse Diogenem clarissimo testimonio affirmat *Simplicius* ad Arist. phys. p. 6. a. *Καὶ Διογένης δὲ ὁ Ἀπολλωνιάτης*, inquit, *σχεδὸν νεώτατος γεγονὼς τῶν περὶ ταῦτα σχολασάντων τὰ μὲν πλεῖστα συμπεφορημένως γέγραφε, τὰ μὲν κατὰ Ἀναξαγόραν τὰ δὲ κατὰ Λεύκιππον λέγων.* In his quum dicat: *κατὰ Ἀναξαγόραν, secundum* Anaxa-

goram, hoc etiam, opinor, dicere voluit: *post* Anaxagoram; id enim ex iis, quae paucis verbis ante dixerat, σχεδὸν νεώτατος, elucet. Haec vero vix e Theophrasto desumserat Simplicius, quod *Rittero* (Gesch. der Jon. Phil. p. 40.) placuisse video; sed sola ea, quae sequuntur, Diogenem aërem posuisse rerum principium. De hac enim re pugnans contra Nicolaum, Aristotelis illud μεταξὺ ad Diogenem referentem, provocat tum ad Theophrasti auctoritatem, tum ad ipsius Diogenis librum. Sic etiam *Schleiermacherus* (Ueber Diog. v. Apoll. in d. Abhandlungen der Berl. Acad. Philos. Class. 1804—11. Berl. 1815. p. 81.) censet. Quod vero ad Leucippum attinet, hunc quidem Diogeni aetate paullo anteisse, dubitatio non est. Sequitur *Sidonius Apollinaris*, qui (l. c. ad cap. 2. not. 4.) Diogenem Anaxagorae quidem iunctum collegam appellat i. e. aequalem, sed eundem etiam *iuniorem*. Atque hi quidem clare; obscurius *Clemens Alexandrinus*, quem tamen eandem, quam illos, sententiam secutum esse, perquam probabile est. Admonit. ad Gent. 42. C. Καὶ Ἀναξιμένης, ὁ καὶ αὐτὸς Μιλήσιος, τὸν ἀέρα· ᾧ Διογένης ὕστερον ὁ Ἀπολλωνιάτης κατηκολούθησεν. Quo in loco quod dicit κατηκολούθησεν ut ad doctrinam tantum, qua Anaximenem secutus sit, referendum est: ita tamen quod addit, ὕστερον, significare videtur, ex sua quidem sententia Diogenem fuisse seriore demum aetate, Anaxagora inter ipsum et Anaximenem intercedente. Hunc certe Anaximenis auditorem fuisse narrat strom. I. p. 108. ed. 1551. ex bibl. Medic. Postremo *Placitorum* etiam scriptor, qui vulgo Plutarchus fertur, post Anaxagoram collocasse Diogenem videtur IV, 3. p. 442. ed. *Hutt.* οἱ δ' ἀπ' Ἀναξαγόρου ἀεροειδῆ ἔλεγον (τὴν ψυχὴν) τε καὶ σῶμα. Nam Diogenem in horum philosophorum numero haberi, intelligitur ex *Stobaeo*. Ecl. phys. I, 52, 1. p. 796. ed. *Heer.* Ἀναξαγόρας, Ἀναξιμένης, Ἀρχέλαος, Διογένης ἀερώδη (τὴν ψυχήν). Anaxagora contra *priorem* Diogenem fuisse statuit *Antisthenes* apud *Diog. Laërt.* IX, 57, quippe qui Anaxi-

menis eum disciplina usum esse tradat[1]), nisi hic quoque eandem, quam *Augustinus*, rationem, qua utrumque ille, et Anaxagoram et Diogenem, eiusdem Anaximenis auditorem faciebat, amplectebatur.

Cap. 6. Iam vero ut diiudicari possit, quaenam probabilior sit ratio, eos veterum locos, quorum modo recensum dedimus, diligentius etiam animo contemplemur necesse est. Ac nota quidem res est omnibus, postquam in Socraticorum scholis historia philosophiae perscribi coepta esset, multos fuisse scriptores *διαδοχῶν*, qui in eo maxime operam collocarent, ut antiquiorum quoque philosophorum continuam quandam seriem constituerent, qualem in suis scholis viderent. Quod vero ex his ad antiquos istos physicos pertinet, haec fere vulgatissima plurimisque probata videtur fuisse series, ut Thaletem exceperit Anaximander, hunc Anaximenes, hunc Anaxagoras, hunc Archelaus, hunc Socrates, qui novum philosophorum ordinem aperit. cf. *Diog. Laërt.* prooem. §. 14. *Placit. Phil.* I. p. 352. *Hutt;* alii. Hanc ipsam autem Ionicorum, quos dicunt, physiologorum successionem *Simplicius* quoque in Commentariis suis ad phys. Aristot, sequitur. cf. p. 6. a. *Ἀναξίμανδρος, Πραξιάδου, Μιλήσιος, Θαλοῦ γενόμενος διάδοχος καὶ μαθητης ...... Ἀναξιμένης, Εὐρυστράτου, Μιλήσιος, ἑταῖρος γεγονὼς Ἀναξιμάνδρου* p. 6. b. *Ἀναξαγόρας, Ἡγησιβούλου, Κλαζομένιος, κοινωνήσας τῆς Ἀναξιμένους φιλοσοφίας.* Diogenem autem Apolloniaten statim post Anaximenem interposuit propter similitudinem doctrinae[2]). Quod quum ita sit, perspicuum est, cur Diogenem *σχεδὸν νεώτατον* appellet. Omnes enim, qui Anaxagoram, nullo intercedente alio,

---

1) *ἤκουσε δὲ, φησὶν Ἀντισθένης, Ἀναξιμένους.* Antisthenes autem *διαδοχὰς τῶν φιλοσόφων* scripserat. Vid. de eo *Menag.* ad Diog. L. I, 40. p. 23. et ad VI, 19. p. 232. *Jonsium* d. script. h. phil. IV, 6. p. 249.

2) Cf. p. 7. a. *αὕτη μὲν ἡ σύντομος περίληψις τῶν ἱστορουμένων περὶ ἀρχῶν, οὐ κατὰ χρόνους ἀναγραφεῖσα, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῆς δόξης συγγένειαν.*

Anaximeni adiungerent, non potuerunt, quin Diogenem novissimo horum philosophorum agmini assuerent, eumque aut Archelao fere aequalem, aut aetate etiam inferiorem iudicarent. Eandem rationem tenent etiam reliqui, *Sidonius Apollinaris*, *Clemens* (Strom. l. l.), *Placitorum scriptor*, ut non tam de horum auctoritate, quam de totius huius rationis veritate disquirendum sit.

Cap. 7. Duas maxime antiquitus fuisse philosophorum scholas, veteres statuebant, Italicam seu Pythagoricam alteram, alteram Ionicam seu physicorum. Atque hoc in universum quidem verum esse videtur, quamquam eam rationem, qua singulos philosophos in iis distribuerint, non in omnibus probaveris. Quod vero successionem aliquam clarissimorum physiologorum, qualis in Socraticis scholis obtinebat, constituere voluerunt, ut alter ab altero, quotiescunque res ita ferret, doctrinam et locum quasi haereditario iure acceperit, in eo haud dubie falsi sunt, ut vel locorum plerumque distantia, quibus physicorum principes degebant, et frequentissima eorum itinera ostendunt. Magis vero etiam temporum rationes. Quod ut clarius intelligatur, exeamus ab Anaxagora, cuius satis certa aetas esse videtur, si solos cogites eos, qui omnium consensu eius discipuli dicuntur. Vid. *Schaubach.* Anax. p. 17 ss. Natus erat Anaxagoras Olymp. LXX, 1. i. e. 500 a. Chr. n.; vixisse autem traditur annos LXXII, ita ut Olymp. LXXXVIII, 1. h. e. 428 a. Chr. n. mortuus sit. Anaximenis deinde aetas tam incerta est, ut veteres scriptores in anno eius natali constituendo octo Olympiadibus inter se differant. Sed etiamsi, quod *περὶ τῶν Σαρδέων ἅλωσιν* mortuus esse dicitur, ita accipias, ut quam fieri potest proxime ad Anaxagorae tempora trahatur eo, quod non de Sardium occupatione a Cyro Olymp. 58 facta sermonem esse dicas, sed de Graecorum invasione urbisque conflagratione Olymp. 68, 2 i. e. anno 502 a. Chr. n. (Herodot. 5, 100. 101.): fieri tamen non potuit, ut Anaxagoras Anaximenis esset sive amicus sive auditor. Hinc vero perspicuum est, inter Ana-

xagoram et Anaximenem revera interpositum esse temporis spatium claro aliquo nomine vacuum, qua sola re huius ordinis series interrupta et fides fracta est. Neque iam, quum Anaximenis aetas in hanc successionem minus quadrare videretur, temere eam ac vario modo huc illuc motam et variatam esse miraberis. Quid? quod fuerunt, qui, quum quocunque verterentur, tantas ubique difficultates obstare viderent, ut de iis solvendis desperarent, ipsius Anaximenem Parmenidis discipulum fuisse dicerent[1]). Thaletem deinde atque Anaximandrum constat fuisse cives et aequales, sed hunc aetate paullo minorem. Quae quum ita sint, non dubitandum, quin Anaximander Thaletis doctrinam cognitam habuerit; unde quodammodo eius discipulus dici potest: si modo eum hoc nomine appellare liceat, qui alicuius audivit doctrinam, etiamsi eam non secutus sit. Anaximandrum autem non secutum esse Thaletis dogmata, sed novam aliquam proposuisse philosophiam, demonstratione non eget; qua de causa constanter negandum videtur, eum Thaletis in schola fuisse successorem. Quibus disputatis iure statuere mihi videor, his omnibus philosophis Ionicis nullam aliam intercessisse necessitudinem, nisi quod omnes in naturalium rerum causis indagandis maxime versabantur, nec plane ignota erat alteri alterius doctrina, ex quo manifesto apparet, omnem hanc eorum successionem fictam esse nulloque prorsus nixam firmo fundamento, ac tum demum inventam, quum *διαδοχῶν* scriptores exsistere coepissent, quorum antiquissimi, quos novimus, Sotion et Sosicrates, vix duo a. Chr. n. saecula vixisse videntur. Hoc certe per se clarum est, fieri non potuisse, ut de tali in priscis istis physiologis serie constituenda quis cogitaret, priusquam Socraticarum scholarum exemplo ad hoc conandum esset provocatus. Quanquam non dubitandum, quin quisque eorum discipulos habuerit et asseclas, qui vel doctrinam ab ipso acceptam per aliquod tempus sustentarent, vel aliquamdiu ia-

---

1) *Diog. L.* II, 3. *ἔνιοι δὲ καὶ Παρμενίδου φασὶν ἀκοῦσαι αὐτόν.*

centem postea resuscitarent ac reprehenderent: e quibus, ut Mandryatum Prienensem [1]), Thaletis auditorem, omittam, nominantur Heraclitei et Anaxagorei; sed plerique ab hac saltem parte ignobiles sunt.

Cap. 8. Sed redeat disputatio in fines suos. Iam enim nemo, opinor, erit, qui, si quae aliae causae sint, quibus Diogenis philosophiam ante Anaxagoream fuisse probabile fiat, aut Simplicii, aut Sidonii, aut Clementis denique et Placitorum auctoritate motus, aliter statuere velit, quum omnes vulgarem istam et fictam Ionicorum successionem sequantur. Quod vero Simplicius pleraque Diogenem secundum Leucippum et Anaxagoram scripsisse ait, ne hoc quidem nos movebit, ut fidem ei in Diogenis aetate definienda habeamus. In principiis enim, quibus utriusque doctrina, quasi fundamento suo, superstructa est, inter omnes constat, eos quam longissime inter sese esse dissentientes; in quibus vero consentire videntur, ea maxime ad singulas res in rerum natura conspicuas pertinent, de quibus plerique similia narrant physici, licet diversas earum causas statuerint. Praeter multa alia huc referri potest, qnod Simplicius (p. 10. a.), quas in Anaxagorae homoeomeriis inveniret contrarias inter se et oppositas naturas, calidam et frigidam, aridam et humidam, tenuem et densam, aliasque huius generis plures, easdem etiam a Diogene ad res ex aëre generandas adhibitas esse videbat; tum fortasse ea quoque inter sese comparabat, quae Anaxagoras de mente, et Diogenes de νοήσει sua, quam aëri inesse dicebat, praedicaret: qua in re similia saepe utrumque dixisse fragmenta utriusque docent; et plura etiam afferri possent, si res tanti esset. Sed in his omnibus non solum id spectandum erat, quid illi statuerent, sed etiam cur et qua ratione statuerent: qua in re Simplicius haud dubie negligentius egit [2]).

---

1) *Apulej.* florid. 18. cit. Ritter. p. 24.

2) In hoc autem vitium eo facilius incidebat, quo maiore studio in iis, quae proxime sequuntur, diversissimas philosophorum sententias inter se conciliare et coniungere laborabat, ut hac ratione a Christianorum criminationibus eos defenderet, qui propter hunc in maximis rebus dissensum

Quid vero sit, quod a Leucippo quoque multa Diogenes sumsisse a Simplicio dicatur, exponere huius loci non est; sed infra de hac re agetur.

Cap. 9. Restat, ut de *Antisthenis* auctoritate iudicium feratur, qui, ut supra commemoratum est, Diogenem Anaximenis usum fuisse disciplina, memoriae prodidit. Hic Antisthenes, quem eundem Vossius probabili coniectura Rhodium et historicum fuisse putat, scripserat *διαδοχὰς τῶν φιλοσόφων* (vid. cap. 5. not.), ad quas quum saepius provocet Diogenes Laërtius, hoc idem, quod de Diogene Apolloniate dicit, ex eodem libro petitum esse, admodum verisimile est. Sed vereor, ne quis huius ipsius rei praeiudicio de Antisthenis fide dubitet, et, si dicendum est, quod sentio, eius testimonio per se spectato propter hanc ipsam causam non multum me tribuere fateor, quum, ut alii Parmenide addito seriem illam supplere voluerunt, ita Antisthenes Diogene Apolloniate inter Anaximenem et Anaxagoram interposito idem sibi effecisse videri posset, idque eo maiore aliqua veritatis specie, quum tanta esset inter Anaximenis et Diogenis dogmata similitudo, ut ei, qui accuratius utriusque doctrinam perscrutari et penitus investigare negligeret, in Anaximenis tantum placitis uberius exponendis elaborasse posset videri Diogenes. Et si quis dicat, ex hoc eorum consensu magnum peti posse argumentum, quo Diogenem Anaximenis disciplina usum esse demonstretur: litteris ille philosophiam suam consignaverat, unde Diogenes, quae utrique communia essent, haurire potuit omnia. Qua de causa hoc quoque Antisthenis testimonium ita comparatum esse apparet, ut eo nihil certi de Diogenis aetate effici videatur.

---

philosophiam ipsam detrectare conabantur. p. 7. a. οὐ χρὴ δὲ τοὺς τοσαύτης ἀκούοντας διαφορᾶς νομίζειν ἐναντιολογίας εἶναι ταύτας τῶν φιλοσοφησάντων, ὅπερ τινὲς ταῖς ἱστορικαῖς μόναις ἀναγραφαῖς ἐντυγχάνοντες, καὶ μηδὲν τῶν λεγομένων συνιέντες ὀνειδίζειν ἐπιχειροῦσι, καίτοι μυρίαις σχίσμασιν αὐτοὶ κατεσχισμένοι, οὐ περὶ τὰς φυσικὰς ἀρχάς, τούτων γὰρ οὐδὲ ὄναρ ἐπαΐουσιν, ἀλλὰ περὶ τὴν καθαίρεσιν τῆς θείας ὑπεροχῆς cet.

Cap. 10. Attamen ut altera illa ratio quam maxime temporum ordini repugnat, neque ullo modo defendi potest; ita haec contra eam sibi vindicat laudem, quod nihil in ea sit, cur ita evenire res non potuerit. Atque hic ante omnia refutanda est sententia eorum, qui Anaximenem fuisse Diogenis magistrum temporum ordini contrarium esse dicant: *Ritterum* [1]) dico et *Carum* [2]). Nam cum Anaximenes, quod quidem inter diversa, quae de eius aetate memoriae prodita sunt, verisimillimum est, teste *Pseudorigine* [3]) floreret Ol. 58, 1 i. e. 548 a. Chr. n.; moreretur autem ex *Apollodori*, viri gravissimi, computatione (apud *Diog. Laërt.* II, 3) *περὶ τὴν Σαρδέων ἅλωσιν* i. e. circa annum 502 a. Chr. n. [4]): equidem non video, quid obstet, quo minus Anaximenem audiret Diogenes. Diogenem anno 469 vixisse, supra demonstratum est. Iam ponamus, eum triginta annos natum fuisse, quum Anaximenes moreretur; eo tempore, quo lapis ille de coelo ad Aegos flumen decideret, sexagenarius fere erat. Et quid est, quod eum tum demum, seu paullo provectiore etiam aetate librum suum edidisse vetet statuere? Nam quemque mihi concessurum esse arbitror, errare *Suidam* [5]) et qui eum sequuntur, ad Sar-

---

1) Gesch. d. Jon. Phil. p. 40. Er wird ein Schüler des Anaximenes genannt, womit aber eine andere Angabe, die ihn zum Zeitgenossen des Anaxagoras macht, nicht recht stimmen will.

2) Ideen z. G. d. Phil. Leipz. 1809. p. 479. Diogenes kann nicht, wie sein gleichnamiger Lebensbeschreiber will, als ein Schüler des Anaximenes angesehen werden, da er nach dem Anaxagoras lebte. Auch sagt Simplicius, dass Diogenes fast der Jüngste unter allen denen gewesen sey, welche unter den Griechen vorzugsweise Physike genannt wurden. So lässt sich auch nicht sagen, dass er die Schule des Anaximenes nach dessen Tode fortgesetzt habe. His addendus est *Meiner's* Gesch. d. Wiss. Bd. I. p. 140.

3) Philosophum c. 7. *Ἀναξιμένης ἤκμασε περὶ ἔτος πρῶτον τῆς πεντηκοστῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος.*

4) Quod ibid. Diog. L. de natali anno Anaximenis habet, corruptum videtur.

5) *Suid.* s. v. Anaximen. *γέγονεν ἐν τῇ νε Ὀλυμπιάδι ἐν τῇ Σαρδέων ἁλώσει, ὅτε Κῦρος ὁ Πέρσης Κροῖσον καθεῖλεν.* Ceterum „verba haec Suidae portentosa ex mage portentosis Laërtii verbis deducta esse“ censet *Scaliger*.

des a Cyro expugnatas hunc locum referentes: quo posito omnia turbantur; quum contra, si ad Sardes a Graecis captas flammisque devastatas pertinere statuas, pleraque omnia, quae de Anaximenis aetate tradita sunt, clara sint.

Cap. 11. Tum vero si in animum revocemus rationem, qua illis quidem temporibus philosophorum doctrinae pervulgatae fuerint; inde etiam fieri potuisse intelligimus, ut Diogenes Anaximenem audiret, quamvis longinquo spatio utriusque patria distaret. Nota enim res est, multa antiquiores philosophos fecisse itinera, quae equidem non tam suscepta putaverim eo consilio, ut nova addiscerent doctrinamque a se inventam augerent atque emendarent; sunt enim plerique *ὑπερήφανοι* propriisque gloriari solent commentis: sed ut docendo inventisque pervulgandis gloriam sibi pararent et auctoritatem. In his vero itineribus sicubi claram urbem attingerent, domus hospitum ipsis patebant, ad quos diverterent, ibique aut libros suos secum apportatos amicorum coetui praelegebant, aut, si nondum litteris doctrinam mandaverant, sermonibus eam exponebant. Cuius rei lepidissimum exemplum est in Platonis Parmenide. Haec sola pervulgandae doctrinae ratio consentanea est istis et temporibus et philosophis. Quamvis autem de Anaximenis itineribus, quantum equidem scio, nihil habeamus compertum; inde tamen non sequitur, hunc morem ab eo fuisse omissum: nam de omni eius vita memoriae proditum est nihil. Diogenem autem itinera suscepisse novimus; Athenas certe venit, narrante *Diogene Laërtio* IX, 57. Quae quum ita sint et si praeterea cogitemus florentem tum tempore Ionum et Cretensium mercaturam et navigationem: nemo, opinor, negabit, accidere potuisse, ut aut Diogenes Anaximeni, aut hic Diogeni alicubi occurreret, ubi Diogenes illum audiret. — *Augustini* denique ratio ab iis inventa videtur, qui, quum Anaxagoram Anaximenis auditorem fuisse narratum viderent, Diogenem vero huius aequalem, eundemque a nonnullis Anaximenis discipulum dictum, utramque sententiam coniungere voluerunt. Nullius eam momenti esse, per se patet.

Cap. 12. Quibus ita expositis quum e veterum quidem de Diogene testimoniis utrum maior ille aetate fuerit Anaxagora an minor, non tam clare effici possit, ut omnis dubitatio sublata sit: quanquam Antisthenis ratio aliquanto plus probabilitatis habere videbatur: reliquum est, ut in utriusque philosophiam accuratius inquiratur, ut appareat, an in alterutra reperiatur aliquid, quo altera illam sive priorem sive posteriorem habere cogamur. Talibus autem maxime argumentis, quae ex comparata utriusque inter se doctrina petita sunt, Schleiermacherus Diogeni locum ante Anaxagoram vindicare conatus est, idque magna cum probabilitatis specie. Nam quod primo ad Diogenem attinet, multis rationibus eum Anaxagoram haud cognitum habuisse probat, quod tamen vix accidere potuisset, si tum demum fuisset, quum Anaxagoras iam floruisset. Deinde autem, quod summum est, quum Anaxagoras mentem a quavis corporea concretione separatam statueret, Diogenes vero aëri iniunctam et quasi innatam censeret; id quidem qui evenire potuisset intelligi non posse arbitratur, nisi prius Diogenis illa ratio exstitisset, Anaxagoraeque ad suam inveniendam quasi viam praemuniisset. Sed audiamus ipsum (p. 93): In der früheren Reihe der Jonischen Philosophen Thales, Anaximandros, Anaximenes, hatte der Geist sich selbst als Gegenstand der Speculation noch gar nicht gefunden, die Erklärung des intellectuellen wurde vernachlässigt, oder ganz mythisch behandelt. Was ist nun wahrscheinlicher, dass der Geist sich zuerst fand in jener strengen Form des Gegensatzes, den Anaxagoras aufstellt, oder in jener untergeordneten, der erscheinenden Einheit mit der Materie, wie wir bei Diogenes finden? Ist nicht von Diogenes zu Anaxagoras ein Fortschritt, umgekehrt ein Rückschritt? Tritt uns nicht Anaxagoras, wenn wir ihn unmittelbar an Anaximenes knüpfen, ganz unhistorisch, wie ein *deus ex machina* entgegen, als habe er den Geist, und noch dazu ganz fertig und rein gewaschen von aller Materie, gleichsam erfunden? — In his Schleiermacherus, ut nonnulli etiam veteres, Anaxagoram continuo Anaximeni successisse

statuere videtur. Quo posito nemo sane erit, quin mirum videri concedat, quod ab exigua ista mentis cognitione, quae in Anaximene cernitur, ad summum statim huius rei Anaxagoras escenderit fastigium. Hoc enim per se clarum est, neminem de mente a corporea natura separanda cogitare potuisse, donec eius virtutes et facultates multo maiores et praestantiores esse, sentiretur, quam quae inerti corporeae naturae mole contineri possent. Quod vero ut sentiri posset, in diligentiorem iam contemplationem mens vocata multorumque variis studiis et lucubrationibus accuratius eius vis et natura perspecta fuerit necesse erat. Invenire enim mentem eandemque a materia avellere, non unius hominis erat; sed inventam et perspectam ab uno homine materiae vinculis liberatam esse, id quidem naturae consentaneum.

Cap. 13. Ex his igitur quum negari nequeat, a prioribus istis physiologis, Thalete, Anaximandro, Anaximene, rem nondum eo adductam fuisse, ut Anaxagoras nobilissimum illud dogma de mente excogitare iam tum potuisset; non tamen praetermittendum est, alios etiam multos et gravissimos philosophos inter Anaximenem et Anaxagoram fuisse, *Heraclitum Ephesium*, *Xenophanem Colophonium*, *Parmenidem*, *Leucippum*, *Empedoclem*, alios. Itaque quaestio oritur, annon horum acumine mentis cognitio iam eo usque aucta fuerit, ut Anaxagoras eorum inventis nisus vel certe adiutus in suam doctrinam videri posset adductus esse, etiamsi Diogenis philosophia ei non fuerit nota. Quare operae pretium esse videtur, priorum philosophorum de mente, sive quo alio nomine animae vim et naturam appellaverint, sententias breviter percensere. Quum vero omnis animi vis duplici aliquo negotio contineatur, altero, ut se ipsum moveat animus propria vi ac vivat, ceterisque, quae moventur, causa et effector sit movendi vivendique; alterum autem in cogitando, cognoscendo, intelligendo, sentiendo, ratiocinando, recordando positum sit; utramque harum partium veteribus iam ante Anaxagoram philosophis satis intellectam fuisse appa-

rebit. *Thales* enim *Milesius* quum animatum et daemonibus plenum mundum esse diceret, profecto nihil aliud sibi voluit, quam ut demonstraret, per totam rerum naturam vim aliquam moventem permeare, qua omnes res aut oriantur aut intereant: ut clarissime iam Aristoteles hanc rem exponit (de Anima 1, 2, 8.). Eodem modo *Anaximandrum* ἄπειρον illud, quod rerum principium habuit, nunquam motu vacare, statuisse constat, ut, quum idem deum appellet, vix dubitari possit, quin in hac eadem vi movente divinam naturam collocatam putaverit. *Anaximenes* autem quum animos divino numini cognatos diceret, eosque aëreos, aërem vi divina i. e. movente praeditum posuisse intelligitur. Sequitur *Heraclitus Ephesius*, quem ignem, e quo mundum conderet, aeterno motu agitatum existimasse, notissimum est. Quis enim est, qui rapidissimum illud flumen, in quod bis ex eius sententia descendere nequeas, vel viam illam sursum deorsum ignoret? Sed idem etiam fusius de animi vi rationali egisse videtur. Nam purissimum ignem, qui quidem ἐν τῷ περιέχοντι sit, rationalem, τὸ φρενηρές, appellabat, variamque animorum praestantiam e varia huius cum terrena et humida natura coniunctione derivabat. *Xenophanes* autem, qui etiam ante Heraclitum fuit, τὸ ὄν, quod posuit, divinum esse statuit, omnia penetrans et vi sua continens, maximum, validissimum, tota sua natura cogitans, audiens, sentiens; itemque deinde *Parmenides* cogitantem id appellabat naturam, aliaque ei tribuebat multa, quae a corporearum et concretarum rerum natura abhorrent. Denique *Empedocles*, Anaxagorae aequalis, — mitto enim *Leucippum*, quoniam non satis constat, quid ipsi, quidve soli Democrito tribuendum sit ex iis, quae atomorum defensores docuisse traduntur — Empedocles autem, etiamsi ipsius philosophia in Anaxagorae doctrina conformanda vim non habuerit, luculentissimo tamen exemplo suo, diligenter iam tum philosophos in explicandis animi viribus et facultatibus occupatos fuisse, ostendit. Ex his vero disputatis sponte sequi arbitror, coniunctis illorum laboribus summas et tanquam cardinales tam animalis quam rationalis naturae

vires satis iam cognitas et intellectas fuisse omnes, licet necessario quodam vinculo materiae viderentur annexae. Inventa enim erat natura subtilissima omnium ac praestantissima, vigens, omnia penetrans, omnia movens, validissima, cogitans, audiens, sentiens.

Cap. 14. Re vero eo progressa, ab altera parte id solum restabat, ut demonstrarent philosophi, quomodo in singulis etiam rebus egregia et excellens mentis virtus et efficacia appareret; ab altera autem parte nonnisi parvo momento opus erat, ut intelligeretur, tantam tamque late patentem vim longe praestantiorem esse, quam quae torpente et mortua quasi materiae mole contineri posset. Ex his autem duobus locis quod ad primum attinet, Diogenem Apolloniaten in eo uberius persequendo videmus occupatum; alterum contra Anaxagoras sibi vindicavit. Nam quum Anaxagoras in philosophando aperte ab homoeomeriis exiret, quod summum et primarium eius doctrinae fuit; hac ipsa re necessario adductus est, ut mentem a corporea natura sevocaret. Quodsi enim mentem, ut ceteri ante eum philosophi omnes, e materia sua i. e. homoeomeriarum complexu condere voluisset, ne subtilissimam quidem, de quo omnes tum consentiebant, eam appellare potuisset, quum, si modo ex homoeomeriis, ex omnibus tam crassissimis quam subtilissimis rebus composita fuisset, siquidem ex eius sententia *πᾶν* esset *ἐν παντί*; neque ea omnibus potiri potuisset rebus, si ex omnibus ipsa constitisset, quum eaedem res ipsae in semet ipsas imperium exercere nequeant [1]). — Hac autem ratione

1) Re vera Anaxagoram hac ratione ad suam de mente sententiam pervenisse, liquidissimo apparet ex argumentis, quibus mentem per se exsistere demonstrare conatur fr. 8, qui locus ita mihi iungendus et explicandus videtur: *εἰ μὴ γὰρ ἐφ᾽ ἑωυτοῦ ἦν, ἀλλά τεῳ ἐμέμικτο ἄλλῳ, μετεῖχεν ἂν ἁπάντων χρημάτων, εἰ ἐμέμικτό τεῳ· — ἐν παντὶ γὰρ παντὸς μοῖρα ἔνεστιν, ὥσπερ ἐν τοῖς πρόσθεν μοι λέλεκται· — καὶ ἀνεκώλυεν* (*ἂν*?) *αὐτὸν τὰ συμμεμιγμένα, ὥστε μηδενὸς χρήματος κρατεῖν ὁμοίως, ὡς καὶ μόνον ἐόντα ἐφ᾽ ἑωυτοῦ. Ἔστι γὰρ λεπτότατον* cet. h. e. nisi enim mens per se sola esset, sed mixta alicui rei, omnium rerum particeps esset, si vel uni alicui mixta esset: — in quavis enim re cuiusvis inest pars, ut supra demonstratum est: — et impedirent eum admixta, quomi-

probabiliter demonstrasse mihi videor, quomodo Anaxagorae melior ista ac verior mentis cognitio exsistere potuerit, etiamsi Diogenis placita ignoraverit, neque ea argumenta, quibus Schleiermacherus utitur, ullo modo nos impedire, quominus, si quae aliae causae sint, quae id suadeant, Diogenem post Anaxagoram doctrinam suam evulgasse arbitremur.

Cap. 15. Sed nequaquam his omnibus negaverim, potuisse fieri, ut prior Anaxagora placita sua Diogenes divulgaverit, quibus illum impulerit ad mentis naturam accuratius indagandam. Quanquam etiam hoc non sine difficultate est. Quodsi enim Anaxagoras Diogenis philosophiam cognitam habebat, mirum profecto videri debet, adeo nullum ei fructum ex ea contigisse, ut, qua in re mente uteretur, ipse nesciret, eoque magis mirum, quum Diogenes iam demonstraverit, praeclarum in rerum natura ordinem et modum, egregiam rerum dispositionem, ordinatas temporum vicissitudines, reliqua omnia e mentis vi pendere ab eaque gubernari quam fieri possit pulcherrime. Haec autem Anaxagoras neglexisse videtur omnia. Vid. *Schaubach.* p. 105. Deinde, ut alia praeteream, hoc inprimis Anaxagorae, si Diogenis in condenda doctrina sua rationem habebat, agendum erat, ut, quod ille tanto studio probare tentabat, quodque suae doctrinae quam maxime erat adversum, omnia esse ex uno eodemque initio exorta, argumentis id refellere institueret. Quorum omnium ne minimum quidem vestigium in Anaxagora deprehenditur. — At quod ad primam difficultatem attinet, cur Anaxagoras aliam viam ingressus fuerit ac Diogenes, multae rationes animo possunt cogitari, ita quidem, ut, quum primus mentem a ceteris omnibus rebus segregasset, ipse non satis perspiceret, quomodo nihilominus in rebus ipsis cum materia coniuncta esset; aut maior fortasse et praestantior pura mentis natura ipsi vi-

---

nus ulla re aeque bene potiretur, ac nunc, quum sola sit per se. Est enim ea subtilissima cet.

deretur, quam ut corporearum rerum contagione contaminare eam auderet. Quibus aliae etiam causae addi possent, si coniecturas sequi vellem. Neque alterum, quod posui, argumentum ab omni controversia tutum est. Non enim absurdum esse videtur, statuere, Anaxagoram, suis inventis paullo inflatiorem, aliorum curam agere noluisse: quod e fragmentorum ratione et nexu mihi quidem elucere videtur.

Cap. 16. Diogeni contra Anaxagoram fuisse ignotum, multo certius potest demonstrari. Quodsi enim Anaxagorae placita eum novisse ponamus, sane mirationem facit, ne levissimam quidem huius rei significationem neque in fragmentis neque in iis, quae praeterea de eius doctrina relata sunt, reperiri: id, quod iam Schleiermacherus ostendit in singulis locis, quem repetere nolo. Diogenes aut νόησιν ab aëre segregare debebat, aut pugnare contra Anaxagoram: quod quidem si fecisset, profecto non tacuisset Simplicius. Tum fr. II Diogenes, ubi omnia ex uno eodemque principio immutata sint, necesse esse, argumentis demonstrare conatur, etiamsi nomine non appellaret, re tamen nobilissimae illius Anaxagorae doctrinae rationem habere debebat, quae suae prorsus contraria erat et opposita. Quodsi autem hanc impugnare volebat, profecto ei argumenta, quibus suam sententiam probaret, eligenda erant talia, quibus simul Anaxagorae placita plane excluderentur ac falsa apparerent. Iam quum Diogenes id, quod sibi placeret, cuncta ex eodem facta esse, inde demonstraret, quoniam, si aliter statueretur, omnino fieri posset nihil: hoc plane in Anaxagoram non quadrare, quivis videt, quandoquidem ex huius quidem sententia omnes res simpliciores omnino non fiunt, sed ab aeterno tempore exstant factae, eaeque omnes in omnibus, ut facile inde explicari possit, qui eveniat, ut omnia ex omnibus oriantur.

Cap. 17. Postremo ex omnibus, quae de Diogenis aetate disputata sunt, recte colligi posse videntur haec: *Erat aequalis Diogenes Anaxagorae*, si in universum

spectes tempus, quo uterque vixerit. *Neque tamen Diogenes cognitam habuit Anaxagorae doctrinam*, ita ut aut ante Anaxagoram vel eodem tempore, quo ille, philosophiam suam excogitaret libroque perscriberet, aut certe non multo post, priusquam Anaxagorae doctrina libris innotescere famamque assequi coepisset. *Utrum autem Anaxagoras Diogenis doctrina in sua sive invenienda sive exornanda adiutus fuerit philosophia, nec ne, id ad liquidum perduci nequit*, quum, ut supra demonstratum est, solis etiam aliorum inventis usus in suam ille sententiam pervenire potuerit. Ac mihi quidem, ut aperte dicam, quod sentio, neutrum novisse alterum probabile videtur, propterea quod ne unum quidem reperitur vestigium, quo alterum ex altero pependisse certum sit. Neque Anaxagorae fama priusquam opus suum de rerum natura edidisset — quod quidem provectiore aetate fecit —, condemnatus deinde et Athenis pulsus esset, adeo pervulgata fuisse videtur, ut in reliquam penetrasset Graeciam et insulas, ubi Diogenes tum fortasse degebat.

Cap. 18. Iam nihil restat, quam ut unum illud, quod de Diogenis vita ad nos pervenit, addatur. Athenis fuisse fertur Diogenes Apolloniates, ibique propter magnam invidiam in vitae discrimen adductus esse, auctore *Demetrio Phalereo* [1]). Quam quidem invidiam inde ortam esse suspicor, quod philosophia sua publicas religiones violare videbatur; qua eadem de causa Anaxagorae paullo post, ut videtur, vitae periculum imminuisse constat [2]). Ex iis autem, quae supra effecta sunt, aut ante Anaxagoram Athe-

---

1) Apud *Diog. L.* IX, 57. *τοῦτον φησὶν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ διὰ μέγαν φθόνον μικρου κινδυνεῦσαι Ἀθήνησιν.* Quae *Ritterus* contra haec monet (Ion. Phil. p. 41), nullius momenti sunt: Er soll zu Athen gelebt haben, und daselbst wegen grosses Neides nicht wenig Gefahr ausgestanden haben. Diese Nachricht ist nicht ohne Verdacht gegen ihre Wahrheit, sowohl wegen des Stillschweigens aller übrigen Schriftsteller, als auch wegen der leicht möglichen Verwechslung mit dem Diagoras dem Gottesleugner, auf dessen Kopf die Athener den Preis eines Talents gesetzt hatten. Attamen Diogenem Athenis fuisse, ipse paullo inferius p. 42 concedit.

2) Cf. *Schaubach* Anax. p. 38 s. p. 44. 49.

nis morabatur Diogenes, aut librum suum iam ediderat, quum Athenas veniret.

Cap. 19. Confecta, quantum fieri potuit, de aetate Diogenis disputatione, superest alia quaestio, eaque non minoribus difficultatibus obstricta, *de libris Diogenis*, quae iam tractanda videtur. Nihil enim, opinor, morabimur errorem eorum, qui primum Anaxagoram litteris consignasse doctrinam suam statuerent [1]: unde Diogenem aut nihil scripsisse aut post Anaxagoram libros suos edidisse sequeretur. Nam horum in aprico error est, quippe Anaxagoram cum Anaximandro commutantium. Sed talia re ipsa refutantur ac mittenda sunt. Maioris vero momenti quaestio est haec: utrum unum tantum Diogenes scripserit librum, an plures; qua de re iam inter veteres ambigitur. *Diogenes* enim *Laërtius* unum tantum Apolloniatae scriptum fuisse, censere videtur, siquidem huius libri principium utroque loco, quo affert [2], ita inducit: *ἀρχὴ δὲ αὐτῷ τοῦ συγγράμματος ἥδε* etc., quae loquendi ratio aperte ad unum librum, quem significet, spectat. Aliter prorsus statuit *Simplicius* (ad Aristot. physic. p. 32, b.) qui tria fere Diogenis olim scripta fuisse contendit. *Ἐπειδὴ δὲ*, inquit, *ἡ μὲν τῶν πλειόνων ἱστορία Διογένην τὸν Ἀπολλωνιάτην ὁμοίως Ἀναξιμένῃ τὸν ἀέρα τίθεσθαι τὸ πρῶτον στοιχεῖόν φησι, Νικόλαος δὲ ἐν τῇ περὶ θεῶν πραγματείᾳ τοῦτον ἱστορεῖ τὸ μεταξὺ πυρὸς καὶ ἀέρος τὴν ἀρχὴν ἀποφήνασθαι καὶ τῷ Νικολάῳ συνηκολούθησεν ὁ φιλομαθέστατος τῶν φιλοσόφων Πορφύριος· ἰστέον, ὡς γέγραπται πλείονα τῷ Διογένει τούτῳ συγγράμματα, ὡς αὐτὸς ἐν τῷ περὶ φύσεως ἐμνήσθη, καὶ πρὸς φυσιολόγους ἀντειρηκέναι λέγων, οὓς καλεῖ καὶ αὐτὸς σοφιστὰς, καὶ μετεωρολογίας* [3]) *γεγραφέναι, ἐν ᾗ καὶ λέγει περὶ τῆς ἀρχῆς εἰρηκέναι καὶ*

---

1) *Clemens Alex.* Strom. p. 416. D. ed. Paris. 1641. *οἱ δὲ Ἀναξαγόραν, Ἡγησιβούλου, Κλαζομένιον, πρῶτον διὰ γραφῆς ἐκδοῦναι βιβλίον ἱστοροῦσιν.* cf. *Schaub.* Anax. p. 62. *Schleierm.* Anaximand. p. 124.

2) VI, 81. IX, 57.

3) Corrige aut *μετεωρολογίαν*, quod *Schleiermach.* proposuit pag. 95. not. 1, aut, quod magis placet, *περὶ μετεωρολογίας*.

μέντοι καὶ περὶ ἀνθρώπου φύσεως. Ac primo quidem patet, Simplicium haec, quae commemorat, Diogenis scripta, praeter librum *περὶ φύσεως*, ipsum non vidisse: sed plures olim eius libros exstitisse, unde *Nicolaus Damascenus et Porphyrius*, medium quiddam inter aërem et ignem a Diogene principium esse habitum rati, haec hauserint, colligit tantum ex eorum in libro *περὶ φύσεως* mentione facta. Nam hunc quidem ad se pervenisse et ipse testatur claris verbis [1]), testanturque quae larga deinceps ex eo libro profert fragmenta. Hic igitur quin a Diogene profectus sit, dubium non est. Reliquos vero, qui eo loco memorantur, libros olim exstitisse, dubitari potest, an recte Simplicius iudicaverit: id, quod a *Schleiermachero* factum est, quem *Ritterus* etiam sequitur.

Cap. 20. Quare paullo accuratius Simplicii locum examinemus opus est. Primum igitur quod Simplicius Diogenem de se memorasse narrat: *καὶ πρὸς φυσιολόγους ἀντειρηκέναι λέγων, οὓς καλεῖ καὶ αὐτὸς σοφιστάς;* nemini equidem Schleiermacherum non persuasisse arbitror, peculiarem id quidem librum non significare. Neque hoc verbis inest, quae ipsius Diogenis esse videntur, quum *ἀντειρηκέναι πρὸς φυσιολόγους* hanc tantum habeat vim, eum contra physiologorum opiniones pugnasse, eo puto consilio, ut, quae sibi placerent, contra illos defenderet argumentisque stabiliret. Quod commode in libro *περὶ φύσεως* fieri potuit. Nam tum temporis ars dialectica nondum adeo exculta erat, ut hanc physiologorum refutationem meris dialecticis rationibus instituere, cuiquam in mentem venire posset: quod *Schleiermacherus* iam monuit p. 95. Quamobrem tollendus videtur liber contra physiologos e Diogenis scriptorum numero. — Sequuntur haec: *καὶ μετεωρολογίας γεγραφέναι, ἐν ῇ καὶ λέγει περὶ τῆς ἀρχῆς εἰρηκέναι καὶ μέντοι καὶ περὶ ἀνθρώπου φύσεως.* Diogenem igitur Sim-

1) Ad Arist. phys. p. 32. b. *ἐν δέ γε τῷ περὶ φύσεως, ὃ τῶν αὐτοῦ μόνον εἰς ἐμὲ ἦλθε* etc. p. 6. a. *καὶ τὸ εἰς ἐμὲ ἐλθὸν αὐτοῦ σύγγραμμα, περὶ φύσεως ἐπιγεγραμμένον* etc.

plicius commemorasse ait, se de meteoris scripsisse, in quo libro et de rerum principio egisse et vero etiam de hominis natura [1]). Haec si accuratius consideremus, falsa esse res ipsa indicat. Nam si ea, quae ad meteorologiam pertinent, peculiari libro tractabat Diogenes atque insuper in eodem de rerum principio agebat et de hominis natura: quid, quaeso, libro *περὶ φύσεως* relictum erat? Nonne acta, ut dicunt, ei agenda erant, et plane eadem in altero libro iterum exponenda, quae in altero iam exposuerat? Accedit, quod vix aliquis ante Aristotelis tempora peculiari libro meteorologiam tractaverit, quum in manca, quae tum erat, rerum observatione arctius haec omnia cum reliqua philosophorum doctrina cohaererent, quam ut ab hac separata commode explicari possent [2]). Porro tum *Galeni* tum ipsius *Simplicii* [3]) testimonio certum est, Diogenem in ipso *περὶ φύσεως* libro copiose de hominis natura egisse, atque ea, quae ex hac eius operis parte servata sunt, dilucide ostendunt, non multa, quae illis temporibus his addi potuissent, fuisse reliqua. Ex his omnibus perspicitur, Simplicium in errore versari, quum plura olim Diogenis scripta fuisse ex hoc loco colligat. Diogenes autem hoc eodem loco, quem Simplicius excitat, gloriatus fuisse videtur, quot quantasque res in opere suo tractaverit, et inprimis multum sibi laudis tribuisse, quod de hominis natura accuratius egisset; quam quidem rem primus in medium produxisse videtur: sive hic locus uno tenore in fine libri collocatus erat, quod Schleier-

---

1) Ne quis duos hoc loco libros dici opinetur, alterum meteorologiam, alterum de hominis natura, quum mirum videri possit, tam diversas res Diogenem in eodem libro exposuisse: ipse Simplicius particulis *καὶ μέντοι καὶ* i. e. *et vero* hoc *etiam*, significare videtur, rem sese dicere miram et quam non exspectaveris. Cf. *Simpl.* ad Phys. p. 33. b. p. 35. b. *Plat.* Apolog. Socr. p. 17. d. Steph. (p. 90. Bek.) Theag. p. 127. b. (p. 278. Bek.) *Heraclit.* fr. 8. ap. *Schleierm.*

2) Non vercor, ne quis ipsius Aristotelis verbis abutatur, ut ante Aristotelem libros de meteoris fuisse ostendat Meteor. I, 1. *λοιπὸν δ' ἐστὶ μέρος ταύτης τῆς μεθόδου ἔτι θεωρητέον, ὃ πάντες οἱ πρότεροι μετεωρολογίαν ἐκάλουν.* Nomen enim et rem ipsam antiquioribus etiam physiologis notam fuisse, nemo negabit; sed hoc inde non sequitur, has res ut separatam physices partem fuisse tractatas.

3) *Galen.* II. in Epid. Hippocr. tom. V. p. 478. — *Simplic.* p. 33. a.

machero placet, sive diversi loci, in quibus Diogenes ea, quae exposuisset, commemoraverit, a Simplicio in unum coniuncti sunt, qualis etiam nunc in fr. IV legitur: *ὡς δεδήλωται ἐν τῆδε τῇ συγγραφῇ ἐμφανέως.*

Cap. 21. Effectum igitur hoc, unum fuisse Diogenis librum, cuius quidem notitia ad nos pervenit, *περὶ φύσεως;* atque ex hoc fonte omnia, quae supersunt, et fragmenta et ea, quae Diogenis placita ab aliis traduntur, olim fluxisse, censendum est. Quo in libro teste Simplicio 1) hoc potissimum agebat, ut ostenderet, multum in principio suo i. e. aëre esse *νοήσεως;* quod idem fragmenta etiam docent ex initio libri servata. Attamen quum Simplicius in legendo Diogenis opere non ultra primam eius partem progressus esse videatur, quippe qui ubique proferat ea, quae e primo libro hausta esse ex ipso constat, neque usquam praeter haec alia: iudicium eius de hac tantum libri parte valere, clarum est. Hoc autem confirmatur eo, quod e *Galeno* Diogenem *in secundo περὶ φύσεως libro* novimus de generatione hominis egisse 2). Ex his autem vestigiis Diogenes primo libro copiosius de *ἀρχῇ* vique ista rationali, quam ei insitam statuebat, exposuisse; in reliqua vero operis parte singularum rerum ex aëre origines declarasse videtur.

Cap. 22. Ceterum Diogenis liber iam apud veteres satis rarus fuisse videtur, quum in paucis tantum eius fragmenta exstent. Iam *Galenus* (l. l.) sibi hunc librum non occurrisse affirmat. Novissimus, quem ipsum Diogenis librum manibus tractasse constat, est Simplicius, cuius curiosae diligentiae fragmenta, quae ad nos pervenerunt, duobus exceptis, debemus omnia, eaque satis accurate transscripta, ut solet eximius hic vir in talibus versari. Praeter fragmenta, quae Simplicius habet, servatum est libri initium a *Diogene Laërtio*, uti supra iam commemoratum

---

1) p. 32. b. *ἐν δέ γε τῷ περὶ φύσεως, ὃ τῶν αὐτοῦ μόνον εἰς ἐμὲ ἦλθε, προτίθεται μὲν διὰ πολλῶν δεῖξαι, ὅτι ἐν τῇ ὑπ' αὐτοῦ τεθείσῃ ἀρχῇ ἐστι νόησις πολλή.*

2) l. supr. cit.

est, quem tamen nemo, opinor, ipsum Diogenis librum inspexisse credet. Unde vero acceperit, incertum. Sed probabiliter hoc dici posse videtur. Quum Diogenes Laërtius hoc fragmentum, de quo agimus, in isto Diogenum recensu Apolloniatae Diogenis nomini adiecisset, persuasum equidem habeo, eum ex *Demetrio Magnete* id descripsisse. Demetrius enim Magnes, qui Ciceronis fuit temporibus, librum conscripserat *περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων* [1]), in quo ita versatus esse videtur, ut primo eiusdem nominis scriptores et poëtas diligenter enumeraret, quod ex ipsa libri inscriptione colligi potest; tum singulorum vitas breviter exponeret [2]); eorum denique recenseret libros; quaereretque, an genuini essent nec ne [3]). Qua in re ut accurate libros significaret, quos diceret, eorum primum initium apposuisse videtur; quod quum ex communi talium scriptorum more tum vero etiam e certo quodam huius rei patet exemplo, quod servavit Diog. Laërt. VIII, 85. de Philolao: *Τοῦτον φησὶν Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις πρῶτον ἐκδοῦναι τῶν Πυθαγορικῶν περὶ φύσεως, ὧν ἡ ἀρχὴ ἥδε· Φύσις δὲ ἐν τῷ κόσμῳ ἁρμόχθη ἐξ ἀπείρων τε καὶ περαινόντων, καὶ ὅλος κόσμος καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα.* Ad hunc Demetrii librum quum passim Diogenes Laërtius in componendis istis cognominum catalogis nominatim provocet [4]), aliisque etiam plurimis locis Demetrii auctoritatem sequatur: mihi quidem dubium non est, quin multi *ὁμωνύμων* scriptorum apud eum indices, etiam ubi non dissertis verbis Demetrium lau-

---

1) Hanc fuisse huius libri inscriptionem, patet e *Diog. Laërt.* 1, 112. 5, 75. Plerumque tamen breviter: *Δημήτριος ἐν τοῖς ὁμωνύμοις* s. *ἐν ὁμωνύμοις.*

2) Cf. *Diog. Laërt.* II, 52. 56. VI, 84. 88. X, 13. I, 38. 79. 114. V, 3, 75. 89. VI, 79. VII, 31. 169. 185. IX, 15. 27. 35. 36.

3) Cf. *Diog. Laërt.* II, 57: de Xenophonte: *Ἀθηναίων καὶ Λακεδαιμονίων πολιτείαν, ἥν φησιν οὐκ εἶναι Ξενοφῶντος ὁ Μάγνης Δημήτριος.* I, 112. de Epimenid. *ἀλλὰ Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς π. ὁμ. π. τε καὶ σ. διελέγχειν πειρᾶται τὴν ἐπιστολὴν ὡς νεαρὰν καὶ μὴ τῇ κρητικῇ φωνῇ γεγραμμένην, Ἀτθίδι δὲ, καὶ ταύτῃ νέᾳ.* VIII, 84. de Hippaso: *φησὶ δ' αὐτὸν Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις μηδὲν καταλιπεῖν σύγγραμμα.*

4) I, 38 in Thalete, primo igitur, quem affert. I, 79.

det, ex hoc fonte derivati sint [1]): quae quidem coniectura eo loco, de quo agimus, probabilior fit, quum paucis versibus ante Demetrium auctorem citet, ut vix dubitari liceat, quin hoc quoque loco ei scribenti huius opus evolutum ob oculos fuerit positum. Atque hoc modo probabiliter saltem effectum esse arbitror, primum hoc Diogenis Apolloniatae fragmentum a Diogene Laërtio haustum esse e Demetrii Magnetis libro *περὶ ὁμωνύμων*. Sed si porro quaeras, unde hunc ipsum sumsisse credamus: aut ipsum Diogenis librum adiit, aut, quod magis consentaneum videtur, totum Demetrii opus ex istis *πίναξι*, quales a multis grammaticis confectos esse novimus, fuit excerptum: quam sententiam iam *Ionsio* probatam esse video (d. hist. philos. script. II, 5, 2 ss., ubi diligentissime de celeberrima *Callimachi* Tabula scriptorum exponit). Quae si recte disputata sunt, primus huius fragmenti fons in Alexandrina illa bibliotheca erit quaerendus. Sed quidquid statueris, utrum ab ipso Demetrio ex ipso Diogenis Apolloniatae libro descriptum fuerit, an per seriem aliquam scriptorum ad Demetrium, hinc vero ad Diogenem pervenerit Laërtium: hoc certum est, esse genuinum, et si a Ionicae dialecti formis, quae a serioribus pessumdatae esse videntur, discesseris, integrum.

Cap. 23. Quod restat fragmentum maximum, locum de venis continens, apud *Aristotelem* invenitur (histor. Animal. 3, 2, 4 ss. ed. *Schneid.*), qui qua cura et diligentia e Diogenis libro in suum transtulerit, definire difficillimum est. Solet enim Aristoteles non accuratissima cura versari in eorum scriptorum, quorum sententias affert, oratione servanda, sed rem magis spectare, quam verba. Duplici autem maxime ratione aliorum orationem mutasse videtur.

---

1) Eo tamen temperamento, ut, si quid ab aliis observatum videret, quod ille omiserat, id inde suppleret. Nam fieri non potuit, quin multa, quae Diogeni Laërtio ad rem facere viderentur, a Demetrio, qui tantum de scriptoribus et poëtis ageret, praetermissa essent, velut quod ad VII illos sapientes pertinebat; tum quod Diogenes statuarios saepe, victores, alios huiusmodi homines, qui non tam scriptis editis, quam arte sua et virtute excellerent, philosophis cognomines affert.

Nam quum multa vocabula in suum sibi usum fingat, novam aliis addat significationem, alia, quae ad aliarum rerum similitudinem antiquiores dicere solebant, ad propriam eorum vim revocet, hac ipsa licentia in aliorum sententiis proponendis usus haud raro genuinam earum formam et habitum paullo inflectit atque immutat: cuius rei liquidissimum exemplum praebet de Gen. et corr. 1, 6, ubi eum Diogenis locum, qui fragmento II continetur, sua ratione effert (cf. cap. 31.). Quanquam, vel ita agentem aliorum sententias accurate et distincte plerumque exposuisse, negari nequit. Hanc autem rationem magis in iis philosophorum locis secutus esse videtur, quorum breviter tantum sententiam afferre vult; in maioris vero ambitus locis, qualis hic est, de quo agimus, in quibus singula retulisse attinet, hac quidem ratione uti vix potuit: id, quod inprimis clare demonstrari potest in nostro loco. Nam quum omnis hic ad suum loquendi usum transformandi occasio posita Aristoteli esset in eo, ut singulas corporis partes, si quae essent, quas ipse aliis nominibus appellaret, sua ratione nominaret; multa vestigia sunt, quibus prorsus eum hac re abstinuisse intelligitur, quod in notis ad hunc locum uberius demonstrabitur. Et vix maius quid transformare ei licuit ad suam eamque meliorem rei cognitionem, quum id hoc loco ageret, ut veteres istos physiologos, quorum sententias de venarum distributione exponit, erroris in hac re convinceret. Nam *ἐπεὶ δ' ἀρχὴ*, inquit, *ἔοικεν ἡ τοῦ αἵματος φύσις καὶ ἡ τῶν φλεβῶν, πρῶτον περὶ τούτων λεκτέον, ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ τῶν πρότερον εἰρηκότων τινὲς οὐ καλῶς λέγουσιν.* Hist. Anim. 3, 2, 2. Ab hac igitur parte Diogenis orationem ab eo integram relictam fuisse, contendere posse mihi videor. Sed alia etiam ratio est, qua Aristoteles eam immutare poterat. Quum enim, uti dictum est, argumentum magis spectaret, quam elocutionem: in eo saepe nimium sibi indulsisse deprehenditur, quod alia, quae minus ad rem facere viderentur, plane omitteret, alia contraheret, in aliis denique priscis vocum formis recentiores substitueret, verbaque, quae alius dialecti essent, commutaret cum vulgaribus suoque tempore usitatis. Nec dubitari

potest, quin haec omnia in nostro loco facta sint. In *Polybi* certe venarum expositione, quam eodem loco apposuit, transscribenda ita eum egisse clarum est, et ipsa Diogenis apud Aristotelem oratio, si cum reliquis eam fragmentis conferas, manifesta contractionis ostendit vestigia. Cf. nott. ad fr. VII. Polybi autem librum, unde Aristoteles hausit, etiamnunc inter *Hippocratea* opera sub titulo libri *de Natura hominis* (ap. *Foës.* sect. III. p. 3 ss.) servatum esse, verisimile est. Erat enim Polybus Hippocratis gener. Idem certe in eo de venis locus invenitur, qui apud Aristotelem Polybo tribuitur. Sed quo magis etiam ea, quae dixi, intelligantur, eaque ratio, qua Aristoteles in talibus versatus esse videtur, clarius perspiciatur, partem Polybianae venarum descriptionis cum eadem, qualis in Aristotele est, collatam, infra [1]) apposui. Qua in re hoc tamen monendum, ut non omnis verborum discrepantia Aristoteli im-

---

1) *Polyb. ap. Arist. hist. anim.* III, 2, 8. Schn. vulgo c. 3.

Τὰ μὲν τῶν φλεβῶν τέτταρα ζεύγη ἐστίν. ἓν μὲν ἀπὸ τοῦ ἐξόπισθεν τῆς κεφαλῆς διὰ τοῦ αὐχένος ἔξωθεν παρὰ τὴν ῥάχιν ἔνθεν καὶ ἔνθεν μέχρι τῶν ἰσχίων εἰς τὰ σκέλη. ἔπειτα διὰ τῶν κνημῶν εἰς τῶν σφυρῶν τὸ ἔξω καὶ εἰς τοὺς πόδας. διὸ καὶ τὰς φλεβοτομίας ποιοῦνται τῶν περὶ τὸν νῶτον ἀλγημάτων καὶ ἰσχίον ἀπὸ τῶν ἰγνυῶν καὶ σφυρῶν τῶν ἔξωθεν. Ἕτεραι δὲ φλέβες ἐκ τῆς κεφαλῆς παρὰ τὰ ὦτα διὰ τοῦ αὐχένος, αἳ καλοῦνται σφαγίτιδες, ἔνδοθεν παρὰ τὴν ῥάχιν ἑκάτεραι φέρουσαι παρὰ τὰς ψυὰς εἰς τοὺς ὄρχεις καὶ εἰς τοὺς μηρούς· καὶ διὰ τῶν ἰγνυῶν τοῦ ἔνδοθεν μορίου καὶ διὰ τῶν κνήμων ἐπὶ τὰ σφυρὰ τὰ εἴσω καὶ τοὺς πόδας. διὸ καὶ τὰς φλεβοτομίας ποιοῦνται τῶν περὶ τὰς ψυὰς καὶ ὄρχεις ἀλγημάτων ἀπὸ τῶν ἰγνυῶν καὶ τῶν σφυρῶν etc.

Polyb. ap. Hippocr. de Nat. hom. Sect. III. p. 8. ed. Foës.

Τέσσαρα ζεύγεά ἐστιν ἐν τῷ σώματι. καὶ ἓν μὲν αὐτέων ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ὄπισθεν διὰ τοῦ αὐχένος ἔξωθεν ἐπὶ τὴν ῥάχιν ἔνθεν τε καὶ ἔνθεν παρὰ τὰ ἰσχία ἀφικνέεται καὶ ἐς τὰ σκέλεα. ἔπειτα διὰ τῶν κνημέων καὶ τῶν σφυρῶν τὰ ἔξω καὶ ἐς τοὺς πόδας διήκει. δεῖ οὖν τὰς φλεβοτομίας τὰς ἐπὶ τῶν ἀλγημάτων τῶν ἐν τῷ νώτῳ καὶ τοῖσιν ἰσχίοισιν ἀπὸ τῶν ἰγνυῶν ποιέεσθαι καὶ ἀπὸ τῶν σφυρῶν ἔξωθεν. αἱ δὲ ἕτεραι φλέβες ἔχουσιν ἐκ τῆς κεφαλῆς παρὰ τὰ οὔατα, διὰ τοῦ αὐχένος, αἱ σφαγίτιδες καλεόμεναι, εἴσωθεν παρὰ τὴν ῥάχιν ἑκατέρωθεν φέρονται παρὰ τὰς ψόας ἐς τοὺς ὄρχιας καὶ ἐς τοὺς μηρούς. καὶ διὰ τῶν ἰγνυῶν ἐκ τοῦ εἴσωθεν μέρεος. ἔπειτα διὰ τῶν κνημέων παρὰ τὰ σφυρὰ εἴσωθεν καὶ ἐς τοὺς πόδας. δεῖ οὖν τὰς φλεβοτομίας πρὸς τὰς ὀδύνας ποιέεσθαι τὰς ἀπὸ τῶν ψοῶν καὶ ὀρχίων ἀπὸ τῶν ἰγνυῶν καὶ ἀπὸ τῶν σφυρῶν εἴσωθεν etc.

putetur: haud minima enim pars librariis tribuenda esse videtur. Ex his autem locis inter se comparatis apparet, Aristotelem in sententiis primariis proferendis accurate diligenterque egisse; in servando vero ipso auctoris sermone negligentius esse versatum. Quodsi eodem modo in Diogenis loco egerit, de quo equidem non dubito, de dialecto Ionica in eo restituenda non esse cogitandum, per se patet; praesertim, quum ne ita quidem genuinam Diogenis scripturam consequeremur. Quanquam non tantum Aristoteles in ea immutasse videtur, ut e fragmentorum numero hic locus eximendus sit.

Cap. 24. Praeterea hic illic a veteribus memoratum est, quid Diogeni de singulis rebus placuerit, sed multo id rarius, quam in aliis huius generis philosophis fieri solet; propterea quod ii scriptores, qui in his rebus maxime occupati sunt, quum Diogenem in multis cum aliis consentientem viderent, neque intelligerent, quo eius doctrina a reliquis omnibus similibus longe diversa esset, eum neglexisse videntur. Primus omnium, qui passim eius mentionem facit, *Aristoteles* est, cuius constat maximam esse in his rebus auctoritatem. Nam *Plato* ne novisse quidem videtur Diogenem: adeo nullam eius mentionem fecit [1]). Post Aristote-

1) Facile aliquis induci possit, ut Platonem de Diogene Apolloniate loqui credat in *Phaedone* p. 96. b., ubi *καὶ πολλάκις*, inquit Socrates, *ἐμαυτὸν ἄνω καὶ κάτω μετέβαλλον σκοπῶν πρῶτον τὰ τοιάδε . . . . . καὶ πότερον τὸ αἷμά ἐστιν ᾧ φρονοῦμεν, ἢ ὁ ἀὴρ, ἢ τὸ πῦρ, ἢ τούτων μὲν οὐδὲν, ὁ δὲ ἐγκέφαλός ἐστιν* etc. Quam in sententiam etiam *Heindorfium* abiisse video. Sed quum nullibi alias, uti dictum est, in Platonis dialogis ne levissimam quidem Diogenis mentionem iniectam reperiamus, atque haec Platonis verba commode de Anaximene intelligi possint, ut vel is Placitorum locus, quem Heind. affert, ostendit: mihi quidem persuasum est, Diogenem hic non esse significatum. Videtur Plato Diogenem aut plane ignorasse, aut, si noverit, eius nullam rationem habuisse. Neque id mirum. Plato enim non in singulis quibusdam priorum philosophorum opinionibus refutandis morari solet, sed principes eorum sententias aggreditur. Iam quum Diogenis philosophia quasi in medio posita sit inter Anaximenem et Anaxagoram, ita ut quatenus aërem esse statueret rerum originem, idem atque Anaximenes docuisse videretur; quatenus vero *νόησιν* ei inesse poneret, in eo quasi initia tantum Anaxagoreae doctrinae laterent, qua tandem hoc dogma perfectum est; porro quum et Anaximenes et Anaxagoras ab his ipsis eorum placitis Platonis tempore magnum nomen essent assecuti, Diogenes vero tum quidem famam vix haberet, sed postea

lem *Theophrastum* de Diogene egisse, e Simplicio et Alexandro Aphrodisiensi compertum habemus, quamquam peculiari libro id factum esse non putaverim, quum nullibi talis Theophrasti liber memoretur. Sed pauca ea, quae hi scriptores ex eo de Diogene afferunt, vel e libro περὶ σοφῶν hausta erant, vel obiter Theophrastus Diogenis meminerat in libris, quos de Anaxagora conscripserat: quod probabilius est, quum ad hos ipsos eadem pagina Simplicius provocet (p. 6 a). Post hos *Rufus* nominandus, qui pauca ea, quae de Diogene dixerat (ap. *Galen.* l. cit.) ex ipso eius libro repetiisse videtur. Denique *Simplicius* etiam passim quaedam addidit fragmentis, sed ea haud magni momenti et pleraque omnia aut ex ipsis fragmentis iterum prolata, aut certe inde derivata, nisi ubi mirum in modum sibi non constans Porphyrium sequitur et Nicolaum. Reliquos, qui Diogeneae doctrinae memoriam servarunt, *Alexandrum Aphrodisiensem*, *Ioannem Grammaticum*, *Ioannem Stobaeum*, *Diogenem Laërtium*, *scriptorem Placitorum*, *Eusebium*, *Augustinum*, alios, ad unum omnes sua non ex ipsorum philosophorum libris hausisse, res vulgo nota est. Quare admodum caute iis utendum.

Cap. 25. Diogenis librum περὶ φύσεως, de quo agimus, *Ionica dialecto* conscriptum fuisse, quum res ipsa, tum vero etiam fragmenta a Simplicio servata, abunde docent. Unde in iis etiam locis, ubi Ionicae verborum formae seriorum, ut videtur, negligentia oblitteratae erant, restituendae videbantur, excepto fragmento VII, quod Aristoteles suppeditat (cf. cap. 23). Res quidem satis lubrica, ut iure verearis, aliquam formam attingere, nisi si certis testimoniis correctio nitatur. Attamen perpendenti mihi, quam incuriose ac temere saepe et ipsi veteres scriptores, qui antiquiorum fragmenta in suos libros transferebant, et, qui eorum libros describebant, librarii in hac re egerint, rursus crevit animus. Hinc restitui omnes eas formas Ionicas, qua-

---

demum a doctis fere hominibus in lucem protraheretur: eum omnino in Platonis ditionem non cecidisse, patet.

rum aliqua vestigia aut in ipsius Diogenis, aut in Anaxagorae, quem eadem fere aetate fuisse supra demonstratum est, fragmentis deprehendebantur; tum praeterea pauca, quae communi Ionicorum scriptorum usu sancita sunt. Sed in omnibus hic illic intactum aliquid relinquere malui, quam vitia vitiis augere, praesertim quum ignoremus, annon hi iam scriptores aliquatenus ad Atticum loquendi usum inclinaverint. De singulis autem, quae huc pertinent, in notis ad fragmenta dicetur [1]).

---

1) Hic apponere liceat fragmentum *Melissi*, quod *Simplicius* ad phys. p. 24. a. quam diligentissime se transscripsisse profitetur, partim, quia clare inde apparet, qua ratione has res tractaverit; partim quod eo monemur, ne quid temere innovemus. *Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ἀρχαιοπρεπῶς, ἀλλ᾽ οὐκ ἀσαφῶς ταῦτα ὁ Μέλισσος ἔγραψε, παρακείσθω καὶ αὐτὰ τὰ ἀρχαῖα γράμματα, πρὸς τὸ δύνασθαι τοὺς ἐντυγχάνοντας ἀκριβεστέρους γίνεσθαι κριτὰς τῶν προςφυεστέρων ἐξηγήσεων. λέγει δ᾽ οὖν ὁ Μέλισσος οὕτω, τὰ πρότερον εἰρημένα συμπεραινόμενος καὶ οὕτω τὰ περὶ τῆς κινήσεως ἐπάγων· οὕτως οὖν ἀΐδιόν ἐστι καὶ ἄπειρον καὶ ἓν καὶ ὅμοιον πᾶν. καὶ οὔτ᾽ ἂν ἀπόλοιτο, οὔτ᾽ ἂν μεῖζον γίγνοιτο, οὔτε μετακοσμέοιτο, οὔτε ἀλγεῖ, οὔτε ἀνιᾶται. εἰ γάρ τι τούτων πάσχοι, οὐκ ἂν ἔτι ἓν εἴη. εἰ γὰρ ἑτεροιοῦται, ἀνάγκη τὸ ἐὸν μὴ ὅμοιον εἶναι, ἀλλ᾽ ἀπόλλυσθαι τὸ πρόσθεν ἐόν, τὸ δὲ οὐκ ἐὸν γίνεσθαι. εἰ τοίνυν τριχὶ μιῇ μυρίοις ἔτεσιν ἑτεροῖον γίγνοιτο τὸ πᾶν, ὀλεῖται ἂν ἐν τῷ παντὶ χρόνῳ. ἀλλ᾽ οὐδὲ μετακοσμηθῆναι ἀνυστόν. ὁ γὰρ κόσμος ὁ πρόσθεν ἐὼν οὐκ ἀπολεῖται, οὔτε ὁ μὴ ἐὼν γίνεται. ὅτε δὲ μήτε προςγίνεται μηθὲν, μήτε ἀπόλλυται, μήτε ἑτεροιοῦται, πῶς ἂν μετακοσμηθὲν τῶν ἐόντων τί ᾖ. εἰ μὲν γάρ τι ἐγίνετο ἑτεροῖον, ἤδη ἂν καὶ μετακοσμηθείη. οὐδὲ ἀλγεῖ. οὐ γὰρ ἂν πᾶν εἴη ἀλγεινόν. οὐ γὰρ ἂν δύναιτο ἀεὶ εἶναι χρῆμα ἀλγεινόν. οὐδὲ ἔχει ἴσην δύναμιν τῷ ὑγιεῖ. οὔτ᾽ ἂν ὅμοιον εἴη, εἰ ἀλγέοι, ἀπογινομένου γάρ τευ ἂν ἀλγέοι, ἢ προςγινομένου κοὐκ ἂν ἔτι ὅμοιον εἴη. οὐδ᾽ ἂν τὸ ὑγιὲς ἀλγῆσαι δύναιτο. ἀπὸ γὰρ ἂν ὄλοιτο τὸ ὑγιὲς καὶ τὸ ἐὸν, τὸ δὲ οὐκ ἐὸν γένοιτο. καὶ περὶ τοῦ ἀνιᾶσθαι ὁ αὐτὸς λόγος τῷ ἀλγέοντι. οὐδὲ κενεόν ἐστιν οὐδέν. τὸ γὰρ κενεὸν οὐδέν ἐστιν. οὐκ ἂν οὖν εἴη τόγε μηδέν. οὐδὲ κινεῖται. ὑποχωρῆσαι γὰρ οὐκ ἔχει οὐδαμῇ, ἀλλὰ πλέων ἐστίν. εἰ μὲν γὰρ κενεὸν ἦν, ὑπεχώρει ἂν εἰς τὸ κενεόν. κενεοῦ δὲ μὴ ὄντος, οὐκ ἔχει ὄκῃ ὑποχωρήσει. πυκνὸν δὲ καὶ ἀραιὸν οὐκ ἂν εἴη. τὸ γὰρ ἀραιὸν οὐκ ἀνυστὸν πλέων εἶναι ὁμοίως τῷ πυκνῷ. ἀλλ᾽ ἤδη τὸ ἀραιόν γε κενεώτερον γίνεται τοῦ πυκνοῦ. κρίσιν δὲ ταύτην χρὴ ποιήσασθαι τοῦ πλέω καὶ τοῦ μὴ πλέω. εἰ μὲν χωρεῖ τι ἢ εἰςδέχεται, οὐ πλέων. εἰ δὲ μήτε χωρεῖ μήτε εἰςδέχεται, πλέων. ἀνάγκη τοίνυν πλέων εἶναι, εἰ κενεὸν μὴ ἔστιν. εἰ τοίνυν πλέων ἐστὶν, οὐ κινεῖται.* — Primo, quum diserte Simplicius se apposuisse *αὐτὰ τὰ ἀρχαῖα γράμματα* dicat, quo nihil aliud voluisse videtur, nisi hoc, curiose se Ionicae dialecti proprietates conservasse: profecto id expresse et singulari cura non affirmasset, nisi alias minus accurate agere consuevisset. Atque id hoc ipso in loco, de quo agimus, inprimis clare cernitur. Nam quum eundem etiam p. 22. b. ex parte saltem

Cap. 26. Sed haec de fragmentis in universum disputata sufficiant; reliqua in singulis adornandis explicandisque exponenda. In hac autem re ita versatus sum, ut tum fragmentorum inter se nexum, quantum id fieri potuit, ostendere conarer; tum vero maxima adhibita cura in ipsum eorum argumentum inquirerem, id praecipue spectans, ut singularum sententiarum ratio et cognatio clare perspiceretur. Fragmentis ipsis interposui ea, quae aliunde de Diogenis doctrina constarent, suo quidque loco, ut, quantum id nunc quidem assequi poteram, res eodem ordine tractarem, quo olim in Diogenis libro tractatae fuisse videntur. Qua in re eo curiosius elaborandum erat, quo maiore cura ac diligentia Diogenem in libro suo componendo versatum esse, ex ipso exordio possumus divinare. Est autem hoc.

---

laudaret, tantum in eo describendo incuriae indulsit, ut omnes fere Ionicas formas pessumdaret. Neque adeo ab hoc loco, ubi diligentiam suam iactat, omnis negligentiae suspicio abest, quum modo *γίγνεσθαι* scriptum sit, quod haud dubie verum, modo *γίνεσθαι*; modo *μηθὲν*, modo *μηδὲν*; semel etiam *ὄντος*, quum in aliis semper *ἐόντος* cet., quod et ipse tuetur iisdem his verbis p. 9. a. et p. 17. b. repetitis; nisi forte haec omnia incuriae librariorum tribuenda sunt. Eiusdem autem in levioribus his rebus negligentiae praeterea eum arguunt Anaxagorae fragmenta, quorum quum pleraque saepius proferret, modo *συνενειχάμενοι* posuit, modo *συνενεγκάμενοι*; modo *σμικρὸς*, modo *μικρὸς*; modo *ἑαυτὸ*, modo *ἑωυτὸ*; modo *οὐδεμίη*, modo *οὐδεμία*; modo *ὅσα*, modo *ὅσσα*, et alia etiam graviora. Omitto Empedoclis et Parmenidis versus, in quibus ipsum saepe metrum eum incuriae reum facit. His vero disputatis apparet, nos iure nostro egisse, quod in Diogenis fragmentis Ionicas formas revocavimus. Ceterum excusationem huius negligentiae Simplicius habet in eo, quod prorsus aliud agebat, quam ut singulas singulorum verborum litteras nobis redderet. Deinde vero clarissime in hoc Melissi fragmento perspicitur, Ionicam dialectum novas iam formas admisisse in verbis in *έω* desinentibus, in quibus constanter contractae sunt formae in *ει*; eae contra, in quibus *ο* seu alia obscurior vocalis *τὸ ε* sequitur, solutae servantur: quam quidem regulam etiam ab Atticis postea servatam esse, sed in bisyllabis tantum verbis, notum est. Quamvis autem Diogenes communem in talibus usum Ionicorum scriptorum secutus esse videatur, hoc tamen exemplo monemur, ne, temere eius generis vocibus corrigendis intenti, imprudentes in errores incidamus. Nam Melissus eodem fere tempore vixit, quo Diogenes.

Cap. 27. *Fragm.* I. *Λόγου παντὸς ἀρχόμενον δοκέει μοι χρεὼν εἶναι, τὴν ἀρχὴν ἀναμ-*

Debetur hoc fragm. *Diogeni Laërtio* VI, 81 et IX, 57, ubi etiam addit τὴν δὲ ἑρμηνείαν ἁπλῆν καὶ σέμνην, quae priore loco omiserat. Utroque loco testatur, haec verba in libri initio ab Apolloniata fuisse collocata.

Λόγου παντὸς ἀρχόμενον] Quamvis dicat παντὸς, perspicuum tamen est, Diogenem id tantum λόγων genus dicere, quo philosophiae loci illustrantur, *qualemcunque* igitur *expositionem philosophicam*. Historiarum enim et orationum, quas itidem λόγους appellatas esse constat, vix eo tempore, in ipsis earum initiis, rationem habere potuit, nec tali ἀρχῇ ἀναμφισβητήτῳ, qualem postulat, in iis locus erat.

δοκέει μοι] Frequens haec apud Diogenem loquendi formula, *ubi aliquid ponit*. Vid. fr. 2. ἐμοὶ δὲ δοκέει. fr. 6. καί μοι δοκέει. ibid. ἀπὸ γάρ μοι τούτου δοκέει ἔθος εἶναι. fr. 3. ἀλλὰ τοῦτό μοι δῆλον δοκέει εἶναι. cf. *Aristot.* phys. 3, 1. δοκεῖ δ' ἡ κίνησις εἶναι τῶν συνεχῶν. Ceterum in his omnibus Ionicam formam restitui pro vulgari, quam praebent et *Diogen. Laërt.* et ubique *Simplicius*, qui idem fr. 2 habet ἀναχωρεῖ, fr. 6 κρατεῖν et apud *Anaxag.* fr. 3 (ed. *Schaub.*) δοκεῖν. fr. 8 περιχωρεῖ. ibid. κρατεῖν. fr. 21 ποιεῖ. fr. 18 κινεῖν. ibid. ἐποίει. Ad has formas accedunt fr. 22 Anax. καλοῖεν, et participia apud *Diog.* fr. 6 καλούμενος et apud *Anaxag.* fr. 5 δοκοῦντος; fr. 18 κινουμένου; fr. 21 περιχωρούντων. Suadet tamen communis et constans Ionicorum scriptorum usus, et postulant, quae forte integrae relictae sunt formae apud *Anaxagoram* fr. 8 περιχωρέει et fr. 20 οὗτοι δὲ ἐκχωρέουσι μᾶλλον τοῦ ὕδατος (ap. Simpl. p. 38 apud *Schaubach.* haec verba casu omissa sunt), ut omnes hae formae verborum in έω contractae solvantur. Eodem modo aliae etiam similes formae passim integrae servatae sunt, ut ἐόντα fr. *Diog.* 2. bis. *Anaxag.* fr. 1. 6. 8. 21. unde ap. *Diog.* fr. 2 ὄντα correxi in ἐόντα et fr. 2. 6. ὂν in ἐόν; fr. 6 ἐνούσης in ἐνεούσης, quod etiam nunc scriptum est fr. *Anaxag.* 6. Ceterum non tangendae erant formae contractae verborum in όω desinentium fr. *Diog.* 2. ἑτεροιοῦσθαι, ἡτεροιοῦτο fr. 6 ἑτεροιούμενα (cf. fr. *Melissi* c. 25 not. allatum) et verborum in άω fr. *Diog.* 6 κυβερνᾶσθαι ibid. ὁρᾷ, cf. *Buttm.* Ausf. Gr. p. 496 Anm. 1 fin. Haec semel monenda erant, ne saepius eadem essent dicenda.

τὴν ἀρχὴν] ἀρχὴ opponitur h. l. τῇ ἑρμηνείᾳ, ut vel inde liqueat, de principio physico non esse cogitandum: quod iam Schleiermacherus dixit. Neque in quavis expositione philosophica latiore sensu de rerum principio agi poterat. Est *operis principium, unde reliqua disputatio exit; primaria sententia, qua, tanquam in fundamento, nititur.* cf. *Aristot.* d Gen. et Corr. 1, 6. ἀρχὴν δὲ λάβωμεν τήνδε· ἀνάγκη γὰρ τῶν ὄντων ὅσοις ἐστὶ μίξις, εἶναι ταῦτ' ἀλλήλων ἁπτικά. physic. 1, 3. ἀρχὴ δὲ οἰκειοτάτη πασῶν, ἐπειδὴ πολλαχῶς λέγεται τὸ ὄν, πῶς λέγουσιν οἱ λέγοντες ἓν εἶναι τὰ πάντα. de Anim. I, 1, 16. πάσης γὰρ ἀποδείξεως ἡ ἀρχὴ τό τί ἐστιν. ibid. I, 2, 2. ἀρχὴ δὲ τῆς ζητήσεως, προθέσθαι τὰ μάλιστα δοκοῦνθ' ὑπάρχειν αὐτῇ (τῇ ψυχῇ) κατὰ φύσιν. I, 3, 18. αἱ δ' ἀποδείξεις καὶ ἀπ' ἀρχῆς καὶ ἔχουσί πως τέλος τὸν συλλογισμόν. *Plut.* Aq. et Ign. comp. X. ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς. *Procl.* in I Eucl. 3. μέθοδοι δὲ παραδίδονται· καλλίστη μὲν ἡ διὰ τῆς ἀναλύσεως ἐπ' ἀρχὴν ὁμολογουμένην ἀνάγουσα τὸ ζητούμενον.

ἀναμφισβήτητον παρέχεσθαι] ἀναμφισβήτητος est, *de quo non est disceptatio, in quo omnes consentiunt et acquiescunt.* *Plat.* Legg. VI. p. 768. c. (445. *Bek.*) ibid. III. p. 684. e. (295. *Bek.*) multisque aliis locis. Seriores fere ἀναμφίλεκτος di-

φιςβήτητον παρέχεσθαι, τὴν δὲ ἑρμηνηΐην ἁπλῆν καὶ σέμνην.

cunt. *Oportere* igitur dicit, scriptorem *statim ab initio* (ἀρχόμενον) *operis fundamentum ita exhibere* (παρέχεσθαι cf. *Heind.* ad Platon. Phaedon. §. 82. p. 136.), *ut de eo nulla disceptatio sit in eoque omnes acquiescant*, h. e. argumentis firmatum. Nam quod dicit ἀναμφιςβήτητον, hoc non plane perinde est, ac si dixisset ἀναμφιςβητήσιμον.

τὴν δὲ ἑρμηνηΐην] *elocutionem vero*. Diog. L. habet ἑρμηνείαν. Ionicorum eius temporis usum secutus, correxi ἑρμηνηΐην, ut *Herod.* I, 11. βασιληΐην. IX, 3. ἐπιστρατηΐην. I, 171. στρατηΐην, aliaque multa. Hoc saltem certum est, Diogenem pro ἄλφα, quod vocant, puro posuisse η. Vid. fr. 6 ὀξυτέρην ibid. χροιῆς. cf. *Anax.* fr. 6 οὐδὲ χροιὴ εὔδηλος ἦν οὐδεμίη, pro quo tamen οὐδεμία scribendum erit. Buttm. Ausf. Gr. §. 70. Anm. 1. b). *Gaisf.* praef. ad Herod. *Schweigh* in Lex. Herod. s. v. εἷς. fr. 21. ὑπο βίης ibid. βίην. Unde corrigendum erit apud *Diogen.* fr. 4 ἡμέρας in ἡμέρης. fr. 2 ἰδίᾳ in ἰδίῃ. fr. 6 ἰδέαν in ἰδέην.

ἁπλῆν] i. e. *simplicem*, de oratione, quae propriis maxime verbis utitur neque nimio tumet ornatu, hinc *liquida* est et *perspicua*.

καὶ σέμνην] *et gravem*, *auctoritatem habentem*. cf. *Cicer.* de finib. V, 5: concinnus deinde et elegans huius Aristo: sed *ea*, *quae desideratur a magno philosopho gravitas* in eo non fuit. Scripta sane et multa et polita, sed nescio quo pacto *auctoritatem oratio non habet*. *Aristot.* Rhet. 3, 2, de orationis virtutibus agens, καὶ ὡρίσθω, inquit, λέξεως ἀρετὴ σαφὴ εἶναι. σημεῖον γάρ, ὅτι ὁ λόγος, ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. καὶ μήτε ταπεινὴν μήτε ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα, ἀλλὰ πρέπουσαν . . . . . τῶν δ' ὀνομάτων καὶ ῥημάτων σαφῆ μὲν ποιεῖ τὰ κύρια· μὴ ταπεινὴν δὲ, ἀλλὰ κεκοσμημένην, τἄλλα ὀνόματα . . . . τὸ γὰρ ἐξαλλάξαι ποιεῖ φαίνεσθαι σεμνοτέραν. Orationis igitur simplicitatem cum auctoritate coniunctam postulat Diogenes.

Cap. 28. Paucis his verbis Diogenes mihi operis prooemium absolvisse videtur: solent enim antiquiores scriptores in prooemiis breviores esse; quanquam non repugnabo, si quis sit, qui uberius etiam haec eum explicasse dicat. Nam quod aliquis inter hoc prooemium et fragmentum II Diogenem contra alios philosophos pugnasse suspicari possit, quos, ut ait Simplicius, σοφιστὰς [1]) appellabat, praesertim contra eos, qui multa statuerent principia: id minus probabile est propterea quod ea, quae fragm. II exponit, neque Anaxagorae, ut supra demonstratum est,

---

1) *Simpl.* l. cap. 19 laud. De significatione nominis σοφιστὴς cf. *Herodot.* 1, 29. ib. *Wess. Diog. L.* prooem. s. 12. *Ritter* Gesch. d. Pyth. Phil. p. 41.

neque atomistarum doctrinam, ut par erat, excludunt. Sed priusquam ad fragm. II explicandum progrediamur, in eum ordinem, quem deinceps Diogenes in libro adornando secutus esse videatur, inquirere placet. E fragmentis autem, quae habemus, eum talem fuisse clare apparet, qualem vix meliorem sequi poterat. Nam quum unam esse ἀρχὴν poneret; primo loco rationibus ei firmandum erat, *revera omnes res ex uno eodemque principio originem ducere:* id, quod facit fragm. II. Deinde quum priores Ionici hic illic, ubi naturalibus causis res explicare non possent, ad vim aliquam natura superiorem confugerent, sive eam fati, sive deorum nomine appellarent; ipse vero primus *vim aliquam rationalem* (*νόησιν*) omnia penetrantem gubernantemque clarius agnosceret; secundum ei negotium datum erat hoc, *ut hanc ipsam principio suo, e quo uno mundum conderet*, quidquid id esset, *necessario inesse*, *uberius demonstraret*. Id autem eo loco, unde fragmentum IV excerptum est, factum esse ex hoc ipso perspicuum. Sequebatur, ut tertio loco rationibus probaret, *unum illud omnium rerum initium, quod νόησιν contineret, esse aërem.* Quae quidem quaestio duas maxime res complectitur. Exponendum enim erat, tum *quomodo aër hanc vim rationalem contineret et qualis ea esset;* tum *quomodo ex eo νοήσεως ope omnes res procreatae essent.* Quarum alteram quaestionem primo libro tractasse videtur; altera vero totum reliquum libri ambitum complevisse putanda est. Sed rem ipsam accuratius contemplemur.

Cap. 29. *Fragm.* II. *Ἐμοὶ δὲ δοκέει, τ.ὰ μέν.*

Invenitur hoc fragm. apud *Simpl.* in phys. p. 32 b., qui his verbis inducit: *γράφει δὲ εὐθὺς μετὰ τὸ προοίμιον τάδε*, ut de loco, ubi olim in Diogenis libro collocatum fuerit, dubitari nequeat.

Ἐμοὶ δὲ δοκέει] His verbis Diogenes suam *ἀρχὴν* i. e. primariam philosophiae suae sententiam proponit. Ceterum Simpl. praebet *δοκεῖ*. Vid. ad fr. I.

τὸ μὲν ξύμπαν εἰπεῖν] ut *omnia complectar*, *ut uno verbo omnia dicam*. Nam quod dicturus est, omnes res ex eodem principio esse ortas, in eo summa eius philosophiae continetur. Ὡς in talibus non raro omittitur. Cf. *Herod.* 1, 61. *μετὰ δὲ, οὐ πολλῷ λόγῳ εἰπεῖν, χρόνος διέφυ.* *Thucyd.* 1, 138. *καὶ τὸ ξύμπαν εἰπεῖν.* *Herm.* ad Viger. p. 744.

ξύμπαν εἰπεῖν, πάντα τὰ ἐόντα ἀπὸ τοῦ αὐ-

πάντα τὰ ἐόντα] *omnes res e principio exortae*, ut aqua, terra, et quae id genus aliae sunt. Vid. infr. *Simplic.* ὄντα. Vid. ad fr. I. Ceterum notandum, quod in *Anaxagorae* fragm. ubique fere legitur, πάντα χρήματα, id apud Diogenem ne semel quidem reperiri. Sed Anaxagoram vix dicere potuisse πάντα τὰ ἐόντα, clarum est. Nam hac locutione etiam mentem complexus fuisset, quod tamen in his omnibus locis noluit. χρήματα enim intelligit Anaxagoras τὰ σώματα. Vid. *Schaub.* p. 69. ib. Plut.

ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἑτεροιοῦσθαι] Coniungam hic affinia: ἕτερον, ἑτεροίωσις, ἑτεροιοῦσθαι, ἑτεροιούμενα. Quod ad ἕτερον attinet, duplici sensu sumitur a philosophis. Primo enim arctioribus finibus eius notione circumscripta, ἕτερον ἑτέρου dicitur id, quod vere et ex ipsa sui natura ab altero diversum est, *absolute diversum*, ut nostri loquuntur. Hoc plerumque additamento aliquo notatur. Sic paullo inferius: εἰ τουτέων τι ἦν τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου ἕτερον ἐὸν τῇ ἰδίῃ φύσει. Tum vero freqnentissime etiam vulgari sensu, ut sit id, quod ab altero aliquo in rerum natura quacunque ratione diversum videatur, etiamsi non vere diversum sit. Atque ita in reliquis omnibus locis apud Diogenem accipiendum. fr. 6 μετέχει δὲ οὐδὲ ἓν ὁμοίως τὸ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ. ibid. οὐδὲν δ' οἷόν τε γενέσθαι τῶν ἑτεροιουμένων ἕτερον ἑτέρου, πρὶν τὸ αὐτὸ γένηται cet. Haec eadem τοῦ ἑτέρου notio inest apud Diogenem verbo ἑτεροιοῦσθαι i. e. ἕτερον γίγνεσθαι, seu potius ἑτεροῖον, cf. fr. Meliss. supr. I. Manet enim in omnibus rebus, quotquot oriuntur, illud idem, quod ponit Diogenes, integrum atque incorruptum, rerumque varietas ex eius sententia non in vera aliqua et absoluta earum diversitate posita est, sed in variis tantum formis et viribus, quibus unum illud in sensus cadit. Immutatur igitur quodammodo principium, quum res ex eo fiunt, neque tamen fit aliud quid et ab se ipso diversum. Idem igitur Diogeni ἑτεροιοῦσθαι ac, quod alii dicunt, ἀλλοιοῦσθαι. Nam quod serius quidem factum, ut inter ἀλλοίωσιν et ἑτεροίωσιν philosophi discrimen statuerent, (vid. *Ammon.* d. differ. voc. s. v. μεταβάλλεσθαι), id apud antiquiores locum non habet. *Plat.* Parmenid. p. 138 b. ὅτι κινούμενον ἢ φέροιτο ἢ ἀλλοιοῖτο ἄν. αὗται γὰρ μόναι κινήσεις. Cf. *Aristot.* Metaph. 1, 3. τῶν δὴ πρώτων φιλοσοφησάντων οἱ πλεῖστοι τὰς ἐν ὕλης εἴδει μόνον ᾠήθησαν ἀρχὰς εἶναι πάντων. ἐξ οὗ γάρ ἐστιν ἅπαντα τὰ ὄντα καὶ ἐξ οὗ γίνεται πρῶτον καὶ εἰς ὃ φθείρεται τελευταῖον, τῆς μὲν οὐσίας ὑπομενούσης, τοῖς δὲ πάθεσι μεταβαλλούσης, τοῦτο στοιχεῖον καὶ ταύτην τὴν ἀρχήν φασιν εἶναι τῶν ὄντων, καὶ διὰ τοῦτο οὔτε γίνεσθαι οὐδὲν οἴονται, οὔτε ἀπόλλυσθαι, ὡς τῆς τοιαύτης φύσεως ἀεὶ σωζομένης. *Idem* d. gen. et corr. I, 1. τῶν μὲν οὖν ἀρχαίων οἱ μὲν τὴν καλουμένην ἁπλῆν γένεσιν ἀλλοίωσιν εἶναί φασιν, οἱ δ' ἕτεροι ἀλλοίωσιν καὶ γένεσιν. ὅσοι μὲν γὰρ ἕν τι τὸ πολὺ εἶναι λέγουσι, καὶ πάντα ἐξ ἑνὸς γεννῶσι, τούτοις μὲν ἀνάγκη ἀλλοίωσιν τὴν γένεσιν φάναι καὶ τὸ κυρίως γινόμενον ἀλλοιοῦσθαι. *Simpl.* ad phys. p. 6 a. cuius locus, e Theophrasto petitus, inprimis bene sententiam vocis ἑτεροιοῦσθαι illustrat: ἐξ οὗ (ἀέρος) πυκνουμένου καὶ μανουμένου καὶ μεταβάλλοντος τοῖς πάθεσι τὴν τῶν ἄλλων γίνεσθαι μορφήν. *Id.* p. 55 b. οὐκ ἀλλοιοῦται οὖν ἡ ὕλη, ἀλλὰ μένουσα ὅπερ ἐστι, δέχεται τὸ εἶδος. Qua vero ratione ἀλλοίωσις aëris fiat, infra uberius describendum. Hinc patet, ἑτεροιοῦσθαι apud Diogenem idem esse ac γίγνεσθαι et τὰ ἑτεροιούμενα eadem ac τὰ γιγνόμενα, et ἑτεροίωσιν eandem ac γένεσιν (quamquam haec statum etiam et conditionem τῶν ἑτεροιουμένων significat;).

τοῦ ἑτεροιοῦσθαι καὶ τὸ αὐτὸ εἶναι. καὶ τοῦτο εὔδηλον. εἰ γὰρ τὰ ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ ἐόντα νῦν γῆ καὶ ὕδωρ καὶ τἄλλα, ὅσα φαίνεται ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ ἐόντα, εἰ τουτέων τι ἦν τὸ ἕτερον

ita tamen, ut in omnibus his simul ratio, qua res fiant, significata sit. Ceterum *ἑτεροιοῦσθαι* iungitur cum *ἀπὸ* et *ἐκ* eodem sensu.

ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ] *ex uno eodemque initio.*

καὶ τὸ αὐτὸ εἶναι] et idem esse, quamquam variis qualitatibus assumtis. Cf. *Simpl.* p. 24 b. *καθ' οὓς (φυσικοὺς) γὰρ ἡ ἀρχὴ τῶν ὄντων μία, κατὰ τούτους ἓν τῷ λόγῳ πάντα γένοιτο ἂν καθὸ ἐξ ἑνός, ἀλλ' οὐ καθό ἐστι.* Cavet autem his verbis, ne quis non recte illud *ἑτεροιοῦσθαι* intelligat, sed eo sensu, quo exposuimus.

καὶ τοῦτο εὔδηλον] Rationem proponere instituit, cur ita censeat. *εὔδηλον* eandem vocem esse atque Homericum *εὐδείελον*, veteres Grammatici statuunt. Vid. *Schaub.* ad Anax. fr. I. pag. 72. Sed hoc nunc mitto. Apud pedestris sermonis scriptores significare certum est: *manifestum, per se clarum, demonstratione non egens.* Cf. *Anax.* fr. 6 *οὐδὲ χροίη εὔδηλος ἦν οὐδεμίη*, nisi forte h. l. *ἔνδηλος* praeferendum, quod Simplicius praebet in eodem loco p. 8, cuiusque propria significatio huc optime quadrat: quod cernitur in aliqua re. cf. *Plat.* Tim. p. 50 e. (61. Bek.) *ὅσοι τε ἔν τισι τῶν μαλακῶν σχήματα ἀπομάττειν ἐπιχειροῦσι, τὸ παράπαν σχῆμα οὐδὲν ἔνδηλον ὑπάρχειν ἐῶσι, προομαλύναντες δὲ ὅτι λειότατον ἀπεργάζονται.* *Aristot.* d. part. Anim. 3, 4. *συνισταμένων γὰρ εὐθέως τῶν ἐναίμων καὶ πάμπαν ὄντων μικρῶν, ἔνδηλα γίγνεται καρδία τε καὶ ἧπαρ.* Sed hoc obiter. Contra dubia non est haec vox *Anax.* fr. 1 *καὶ πάντων ὁμοῦ ἐόντων οὐδὲν εὔδηλον ἦν ὑπὸ σμικρότητος.* Aeschyl. Pers. 1004. (1009.) *Plat.* Republ. VI, 6. p. 491. Steph. Politic. p. 308. a (359. Bek.) *οὐδ' ἄρα ἡ κατὰ φύσιν ἀληθῶς οὖσα ἡμῖν πολιτικὴ μήποτε ἐκ χρηστῶν καὶ κακῶν ἀνθρώπων ἑκοῦσα εἶναι συστήσεται πόλιν τινά, ἀλλ' εὔδηλον, ὅτι παιδιᾷ πρῶτον βασανιεῖ.* *Hippocr.* d. carnib. Sect. III. p. 35. ed. *Foes.* *Galen.* in Hippocr. de Nat. homin. I, 1. *Strabo* XVII. p. 832.

εἰ γὰρ τὰ ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ ἐόντα — ὕδωρ καὶ τἄλλα cet.] *Nam si ea*, inquit, *quae in hoc ipso mundo sunt*, in quo et nos sumus. Plures enim Diogenes mundos esse statuit. Vid. infr. cap. 32.

νῦν γῆ καὶ ὕδωρ] *νῦν* i. e. postquam commune omnium rerum principium in mundo constituendo has rerum formas, quas videmus, induit. Similiter *Anaxagor.* fr. 21. *τῶν νῦν ἐόντων χρημάτων ἐν ἀνθρώποις.* Terram et aquam exempli causa nominat, ut res late prae multis aliis in rerum natura patentes et ubique fere conspicuas. Minime vero ex Diogenis mente principia sunt; sed et ipsae e communi rerum principio exortae.

καὶ τἄλλα ὅσα φαίνεται — ἐόντα] i. e. et reliqua simpliciora in rerum natura corpora, e quibus deinceps singulae res oriuntur; quorum tamen quatuor istis Empedocleis elementis multo plura statuisse videtur.

εἰ τουτέων τι ἦν — τῇ ἰδίῃ φύσει] *si horum quid vere et sua ipsius propria natura diversum esset.* *φύσει* i. e. *οὐσίᾳ*, non solum qualitate sive abiecta sive assumta. cf. *Epicharm.* ap. Diog. L. 3, 11. *ὃ δὲ μεταλλάσσει κατὰ φύσιν κοὔποτ' ἐν ταὐτῷ μένει, ἕτερον εἴη κ' αὐτὸ δῆτα τοῦ παρεξεστακότος.* Repetit autem protasin perspicuitatis causa et ad vim sententiae augendam. Anax. fr. 8 *εἰ μὴ γὰρ ἐφ' ἑωυτοῦ ἦν, ἀλλά τεῳ ἐμέμικτο ἄλλῳ, μετεῖχεν ἂν ἁπάντων χρημάτων, εἰ ἐμέμικτό τεῳ.*

τοῦ ἑτέρου ἕτερον ἐὸν τῇ ἰδίῃ φύσει καὶ μὴ τὸ αὐτὸ ἐὸν μετέπιπτε πολλαχῶς καὶ ἠτεροι-

Ceterum Simplic. habet *τούτων*, sed genuinam formam tenuit fr. Anax. 20. *Schleierm.* autem posuit p. 86: „*εἰ τούτων τε ἦν τὸ* (vielleicht *τῷ*) *ἕτερον*" etc., quod unde habeat et quo sensu accipiat, incertum. Ex eius saltem versione non clarum.

καὶ μὴ τὸ αὐτὸ ἐὸν — ἠτεροιοῦτο] *μεταπίπτειν* est proprie: recidere, aliter cadere. *Plat.* Apol. p. 36 a. (128. Bek.) Hinc, quum res, quae aliter cadunt, atque antea positae erant, aliam plerumque sui speciem praebeant et quodammodo immutatae videantur, saepe apud philosophos significat: *immutari*, ita tamen, ut mutationis causa in ipsa re, quae mutatur, posita sit, non in externo aliquo appulsu aut motu; neu ipsam rei naturam mutatio tangat, sed solam externam eius speciem et habitum. *Simpl.* ad phys. p. 47 a. *οὐδὲν δὴ τοῦ ὑποκειμένου καθό ἐστιν ὑποκείμενον μεταπίπτοντος ἐν τῇ ἀλλοιώσει.* Sic autem idem fere significat ac *ἑτεροιοῦσθαι*, i. e. diversam speciem praebere. vid. supr. Similia vero cumulat, ut fortius efferat id, quod in hac re maximum est, omnes res sola eiusdem principii immutatione esse exortas. Dicit igitur hoc: *quodsi enim quae in hoc mundo sunt nunc terra et aqua et reliqua eiusdem generis simpliciora corpora, quae in hoc mundo apparent, si horum quid ab altero plane diversum sit sua ipsius natura, neque ita, ut idem sit, multis modis convertatur tantum atque immutetur* cet. Diogenem enim in his non de singulis quibusvis rebus loqui, velut de plantis, animalibus, lapidibus, aliis, vel ea, quae exempli causa affert, aqua et terra, abunde declarant; iisque, quae deinceps sequuntur, *καὶ τἆλλα — ἐόντα* aperte etiam tales res significat, quales sunt aqua et terra i. e. simpliciora quaedam corpora, e quibus reliqua constant. Postulant hoc etiam verba *μετέπιπτε πολλαχῶς καὶ ἠτεροιοῦτο*, quae non aeque bene dici poterant de singulis rebus, in quibus, quum tales factae sunt, quales sunt, mutatio iam finem consecuta est, donec iterum intereant. De his igitur dicendum erat: *μετέπεσε καὶ ἠτεροιώθη* . i. e. immutatum esset. Nunc vero dicit: *μετέπιπτε*, immutaretur. Cum his autem consentit *Aristot.* Metaph. I, 3. *Ἀναξιμένης δ' ἀέρα καὶ Διογένης πρότερον ὕδατος καὶ μάλιστ' ἀρχὴν τιθέασι τῶν ἁπλῶν σωμάτων.* Monui haec omnia propter *Ritterum*, qui hanc rem videtur negare Ion. Phil. p. 33. Aristoteles bemerkt, inquit, sowohl von ihm als auch vom Diogenes von Apollonia, dass sie die Luft vorzüglich zum Urstoffe der einfachen Körper gemacht hätten. *Wenn diess nun auch vom Diogenes zu bezweifeln sein möchte*, so scheint Aristoteles hierbei um so mehr auf den Anaximenes gesehn zu haben. p. 52. Hieraus wird man wohl hinlänglich berechtigt sein, die Angabe des Aristoteles, Diogenes habe die Luft zum Urwesen, vorzüglich der einfachen Körper, gemacht, für ungegründet zu halten, oder nur auf Einzelheiten in der Ableitung zu beziehn, in welcher er sich auf jene grösseren Massen in der Natur beziehen mochte, sobald er auf das Individuelle überging. Nisi forte his omnibus hoc tantum cavere vult Ritterus, quod sane cavendum, ne quis *ἅπλα σώματα* eo sensu accipiat, quo saepe Aristoteles utitur, de quatuor istis Empedocleis elementis, uti Simplicius fecisse videtur. Diogenis enim oratione finita, ita pergit: *τούτοις καὶ ἐγὼ πρώτοις ἐντυχὼν, ᾠήθην ἄλλο τι λέγειν αὐτὸν παρὰ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα τὸ κοινὸν ὑποκείμενον, εἴπερ φησὶν, μὴ ἀναμίγνυσθαι ταῦτα* (sc. *τὰ τέσσαρα στοιχεῖα*), *μηδὲ μεταπίπτειν εἰς ἄλληλα, εἴπερ ἕν τι αὐτῶν ἦν ἡ ἀρχὴ, καὶ μὴ τὸ αὐτὸ πᾶσιν ὑπέκειτο, ἀφ' οὗ ἑτεροιοῦται.* Sed de tota hac re infra accuratius dicendum.

οὕτω· οὐδαμῇ οὔτε μίσγεσθαι ἀλλήλοις ἠδύνατο, οὔτε ὠφέλησις τῷ ἑτέρῳ οὔτε βλάβη..... οὐδ' ἂν οὔτε φυτὸν ἐκ τῆς γῆς φῦναι, οὔτε ζῶον οὔτε ἄλλο γενέσθαι οὐδὲν, εἰ μὴ οὕτω

οὐδαμῇ οὔτε μίσγεσθαι — βλάβη] Iam sequitur apodosis (in qua desidero partic. *ἂν*): *non poterat fieri, ut inter sese miscerentur* i. e. ut altera alterius naturam assumeret in eamque transformaretur, ut v. c. cibum et potum addi et misceri corporis partibus videmus harumque in se naturam recipere. *Nec commodum*, pergit, *alteri neque incommodum ab altero oriri potuit*. Commodum et incommodum physico sensu intelligendum, *αὔξησις καὶ φθίσις*. Sed horum philosophorum proprium est, de rebus naturalibus ita loqui, quasi eae sensu et vita praeditae sint. Cf. *Meliss.* fr. supr. laud. *οὔτε ἀλγεῖ οὔτε ἀνιᾶται* etc. Hunc vero Diogenis locum *Aristot.* de gen. et corr. I, 6. spectasse videtur: *καὶ τοῦτο ὀρθῶς λέγει Διογένης, ὅτι εἰ μὴ ἦν ἐξ ἑνὸς ἅπαντα, οὐκ ἂν ἦν τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν ὑπ' ἀλλήλων*. Ceterum subiectum, quod vocant, huius apodosis non est *τουτέων τι*, sed, quod his inest, *ταῦτα*. Quod quum Ritterus neglexerit, minus recte hunc locum vertit p. 44. so würde es doch sich weder mit Anderm vermischen können etc. ut pro *ἀλλήλοις* legisse videatur *ἄλλοις*, leni sane mutatione, sed in loco sano prorsus non necessaria. Quod reliquum est, assentior *Schleiermachero*, qui post vocem *βλάβη* aliquid excidisse suspicatur. p. 86. et 88. Quicunque enim accurate haec legerit, infinitivum aliquem desiderari, statim sentiet; sed nihil maius. Mihi quidem inserendum videtur *εἶναι*, quod casu procul dubio excidit, fortasse typothetae culpa. Haud rara enim est talis negligentia in Simplicii textu impresso e. g. p. 8, ubi in fr. Anax. 6. omissa sunt verba *καὶ γῆς*. Si consulto aliquid Simplicius praetermisisset, pro accurata sua diligentia id verbo saltem significasset.

οὐδ' ἂν οὔτε φυτὸν ἐκ τῆς γῆς φῦναι — γενέσθαι οὐδὲν] sc. *ἠδύνατο*. Sententiarum nexus hic est: ex uno eodemque initio omnia. Quod ni ita esset, fieri non potuisse, ut simpliciora in rerum natura corpora, velut aqua, terra, alia, *ullum inter sese commercium haberent*, *neque*, *ut singulae res*, *plantae*, *animalia*, *et quae id genus reliquae sunt*, *ex his*, vario modo inter sese iunctis et compositis, *orirentur*, quas tamen omnes quotidie oriri videmus. Sed cave, verbis *ἐκ τῆς γῆς* materiem, unde plantae originem habeant, significatam putes. Quo enim posito, item materia, e qua animalia facta essent, significanda erat: quod non factum. Et sic loqui solent veteres: cf. *Plat.* Sympos. p. 186 a. (p. 395. Bek.) *τοῖς τε σώμασι τῶν πάντων ζώων καὶ τοῖς ἐν τῇ γῇ φυομένοις* cet. Theag. p. 121 b. (p. 159. Bek.) *τὰ φυτὰ .... ἐκ τῆς γῆς φυόμενα*. Cratyl. p. 410 c. (p. 59. Bek.) *τοὺς καρποὺς τοὺς ἐκ τῆς γῆς*, *Xenoph.* Mem. 4, 7. *Beier* ad Cic. Off. 1, 7, 22. *γενέσθαι* autem nunc dicit, nulla omnino modi, quo fiant, ratione habita.

εἰ μὴ οὕτω συνίστατο .... εἶναι] *συνίστασθαι* proprie dicitur de rebus, quae elementis suis in certam aliquam formam coactis exsistunt, oriuntur; deinde omnino est *fieri certam aliquam rem ex iis, quae iam fuerunt*. Oppositum est *τῷ διαλύεσθαι*. Exempla ubivis obvia. *ὥστε τωὐτὸ εἶναι*. his iam accuratius explicat illud *οὕτω*. *Nisi ita fiant*, *ut idem sint*. Sed quaeritur, nisi idem sint, ac quidnam tandem? Respiciendum ad id, unde omnis haec demonstratio exierat: *πάντα τὰ ὄντα ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἑτεροιοῦσθαι καὶ τὸ αὐτὸ εἶναι* i. e. res etiam nunc unum idemque esse omnes natura sua, quanquam variis

συνίστατο, ὥστε ταὐτὸ εἶναι. ἀλλὰ πάντα ταῦτα ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἑτεροιούμενα ἄλλοτε ἀλλοῖα γίγνεται καὶ ἐς τὸ αὐτὸ ἀναχωρέει.

inter se qualitatibus distinctas. Hoc idem dicit hoc loco: nisi omnes plantae omniaque animalia, et quae praeterea aliae sunt res naturales, nisi haec omnia ita exsistant, *ut ex uno eodemque principio constent, cuius semper naturam conservent.* Nam quum omnes res, de quibus hoc loco agit, e simplicioribus corporibus componantur, haec vero, uti demonstratum est, inter se misceri non possint, nisi una eademque omnibus sit natura; sequitur, plantas, animalia, reliqua omnino exsistere non potuisse, nisi uno principio posito. In quo tamen hoc tenendum, semper et ubique naturam in immutando principio certas et fixas leges sequi, quo fit, ut certa rerum genera sint certaeque species. Simplicii ταὐτὸ mutavi in τωὐτὸ, simili permotus forma, quam ap. Anaxagor. forte retinuit fr. 8, ἑωυτοῦ.

ἀλλὰ πάντα ταῦτα — ἀναχωρέει] Redit Diogenes ad id, unde egressus erat. πάντα ταῦτα i. e. πάντα τὰ ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ ἐόντα. Haec omnia ex uno eodemque alias alia, sed non plane et natura sua diversa, fiunt, idque ἑτεροιούμενα i. e. ἑτεροιώσει, eo sensu, quo supra expositum est. Pro γίνεται, quod apud Simplicium est, scripsi γίγνεται.

καὶ ἐς τὸ αὐτὸ ἀναχωρέει] et in idem redeunt, quum intereunt. Non plane in nihil convertuntur, sed semper manent illud idem, etiam quum solvuntur easque qualitates, quibus certae quaedam res factae erant, deposuerunt. Cf. *Anaximand.* fr. apud Simpl. p. 6 a. ἐξ ὧν δὲ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι, καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γίγνεσθαι κατὰ τὸ χρεών. Simpl. autem habet pro ἐς, quod posui, εἰς; et pro ἀναχωρέει contractam formam ἀναχωρεῖ. Vid. ad fr. 1. His addam, passim apud eundem legi ἠταιροιοῦτο, ἑταιροιούμενα etc. pro ἠτεροιοῦτο, ἑτεροιούμενα, vitio operarum aperto.

Cap. 30. Diogenes igitur, ut dictum est, probare hoc fragmento studet, omnes res, quotquot in hoc mundo sunt, ex eodem initio originem ducere, sive, quod idem est, rerum initium esse unum idemque omnium. Hac autem ipsa re longe superiorem se praebet omnibus ante eum physiologis. Nam quum omnes, qui unam aliquam ἀρχὴν esse statuerent, *cur* ita statuerent, rationibus demonstrare neglexissent: primus ipse non solum vidit, quod istos latuit omnes, sed haud cunctatus manum etiam admovit operi, insignique mentis acumine id, quod in prioribus desiderabat, supplere instituit. Neque id mirum. Namque et Eleatici philosophi revera tum rationibus demonstrare conati erant, ἓν εἶναι τὸ πᾶν, quorum certe notitia aliqua ad Diogenem pervenerat; et recens eo tem-

pore Leucippi philosophia, qui multa esse rerum initia dicebat, clarissimo ostendit exemplo, non sic simpliciter poni posse, unam esse ἀρχὴν, ut rem, quae demonstratione non egeat. Ad ipsam autem rationem quod attinet, qua sententiam suam probare conatur Diogenes, evenire non posse contendit, ut res inter se misceantur, aut ullo pacto commercium habeant, nisi omnes ex uno aliquo principio profectae sint. Nam quod praeterea addit, nihil omnino nasci posse, nisi hoc modo nascatur, ut idem sit, id ad eadem haec recurrit. Sed quum eae rationes, quibus quod posuit demonstrare studet, ita comparatae sint, ut non statim appareat, quomodo id, quod vult, ipsis efficiatur: nostrum est, diligentius etiam inquirere in earum naturam et vim. Ac primo quidem clarum est, totam hanc Diogenis demonstrationem eo, quasi fundamento suo, niti, quod omnes res mutuo quodam commercio contineri aliarumque ex aliis semper conditionem et vicissitudinem pendere dictitaret. Quod pluribus de causis memorabile est. Ut enim hanc eandem variorum in rerum natura eventuum explicandorum rationem ab omnibus ante eum physiologis initam videmus, si quidem omnis rerum explicatio consistit in eo, ut demonstretur, quo modo altera ex altera, quae sive eodem tempore sit, sive prius fuerit, exsistat: ita tamen non minus clarum est, in antiquiorum physiologorum philosophia hanc rationem plus minusve sive fati sive deorum interventu fuisse interceptam ac turbatam, et plerosque eos omnes, quamvis ea utantur, parum tamen perspectum habuisse, quam late pateat quantumque eius in philosophia momentum sit. Quare hoc in Diogene memoratu dignum, quod eo in hac re progressus est, ut non solum mutuum omnium rerum nexum, quo altera ex altera pendere cernitur, prioribus omnibus clarius videret, ita ut, quum duo maxime principii immutati genera esse poneret, alterum anima ac ratione praeditum, alterum inanimatum, in his etiam demonstraret, qua ratione in alterum transiret alterum; sed accurate etiam sentiret, quid ageret et quomodo, adeo, ut ab hoc ipso mutuo rerum commercio ad id, quod in eius philosophia

summum est, probandum, argumenta repeteret. Deinde vero ex his etiam intelligitur, qui accidere potuerit, ut, quod supra cap. 18 nobis probabile videbatur, Diogenes impietatis accusaretur. Quo enim quisque hanc mutuam rerum efficaciam in philosophia magis amplectitur, et quo latius eam in explicanda rerum origine et natura regnare patitur: eo minus deorum interventu utatur necesse est, eoque angustioribus finibus horum in rerum naturam circumscribet imperium. Cf. praeclare hanc rem exponentem censorem Anaxagorae a Schaub. ed. in Ephemerid. Gotting. 1827. St. 96.

Cap. 31. Sed iam redeat, unde huc declinavit, disputatio. Quaerebamus enim, quum omnes res in hoc mundo ex sese invicem pendere viderentur, quo iure inde colligi posset, omnes ex uno eodemque initio esse profectas. Quod iam Aristoteles explicare instituit eo loco, quem supra in nott. ad fr. 2 ex parte laudavimus, de gener. et corr. 1, 6: *Καὶ τοῦτο ὀρθῶς λέγει Διογένης,* inquit, *ὅτι εἰ μὴ ἦν ἐξ ἑνὸς ἅπαντα, οὐκ ἂν ἦν τὸ ποιεῖν καὶ πάσχειν ὑπ' ἀλλήλων· οἷον τὸ θερμὸν ψύχεσθαι καὶ τοῦτο θερμαίνεσθαι πάλιν. οὐ γὰρ ἂν θερμότης μεταβάλλει καὶ [ἡ] ψυχρότης εἰς ἄλληλα, ἀλλὰ δῆλον, ὅτι τὸ ὑποκείμενον. ὥστε ἐν οἷς τὸ ποιεῖν ἐστὶ καὶ τὸ πάσχειν, ἀνάγκη τούτων μίαν εἶναι τὴν ὑποκειμένην φύσιν. Τὰ μὲν οὖν πάντα τοιαῦτα εἶναι φάσκειν οὐκ ἀληθές, ἀλλ' ἐν ὅσοις τὸ ὑπ' ἀλλήλων ἐστι.* Quod ut recte intelligatur, addendum est id, quod cap. 7 exponit: *ἀλλ' ἐπεὶ οὐ τὸ τυχὸν πέφυκε πάσχειν καὶ ποιεῖν, ἀλλ' ὅσα ἢ ἐναντία ἐστιν ἢ ἐναντίωσιν ἔχει, ἀνάγκη καὶ τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον τῷ γένει μὲν ὅμοιον εἶναι καὶ ταὐτό, τῷ δ' εἴδει ἀνόμοιον καὶ ἐναντίον. πέφυκε γὰρ σῶμα μὲν ὑπὸ σώματος, χυμὸς δ' ὑπὸ χυμοῦ, χρῶμα δ' ὑπὸ χρώματος πάσχειν. ὅλως δὲ τὸ ὁμογενὲς ὑπὸ τοῦ ὁμογενοῦς.* Atqui quum Diogenes *omnia* ex se invicem aut generari aut deleri statueret, non, ut Aristoteles, certas quasdam res ex certis quibusdam aliis; patet, quomodo ex his sequatur eius placitum: omnia esse unum idemque,

sive omnia esse ex uno eodemque principio orta. Quidquid enim ex altero aliquo fit, eiusdem generis sit, atque illud (ὁμογενές), necesse est. Quamquam haec argumentandi ratio magis fortasse ex Aristotelis doctrina fluxit, quam ex ipsius Diogenis mente [1]. Mihi quidem Diogenes rem ita cogitasse videtur. Fac enim duas res v. c. aquam et terram, vere et absolute et natura sua inter se esse diversas, ita, ut neutra earum neque habeat aliquid alterius naturae, nec possit etiam in se recipere; et videbis, omnino accidere non posse, ut altera sive ex altera oriatur sive intereat. Nam si terram ortam esse statuas ex aqua, id perinde sit, ac si e veterum usu dicas, terram ex eo, quod non sit, (ἐκ τοῦ μὴ ὄντος), esse factam et aquam mutatam esse in id, quod non sit (εἰς τὸ μὴ ὄν). Quorum neutrum fieri potuit, vel ex notissimo illo, quod omnes tacite accipiebant physici, ex nihilo nihil fieri, in nihilque nihil reverti; magis vero etiam ex ea ratione, qua Eleatici philosophi hac sententia utebantur. Et *Diogenes* quidem *Laërtius* (IX, 57) diserte Apolloniaten Diogenem docuisse affirmat: οὐδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι, οὐδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι. Quibus mihi quidem Diogenes L. non vulgarem istum locum et *communem omnium fere* philosophorum dare voluisse, sed potius ad eam rationem, qua iam tum *Xenophanem* et fortasse etiam *Parmenidem* in doctrina sua adhibuisse novimus, respexisse videtur. Quod nisi voluisset, hanc, puto, sententiam, ut quae per se intel-

---

1) Cf. *Ioann. Philop.* ad Arist. l. c. ὅτι δ' ἀνάγκη τοῖς ἓν ὑποτιθεμένοις τὸ στοιχεῖον λέγειν τὸ ποιεῖν καὶ πάσχειν, μάρτυρι χρῆται Διογένει τῷ Ἀπολλωνιάτῃ ὀρθῶς λέγοντι, ὅτι εἰ μὴ ἓν ἦν τὸ ὑποκείμενον πᾶσιν, οὐκ ἂν ἦν τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν ὑπ' ἀλλήλων, ὡς ἀναγκαίως ἑπόμενον τοῖς εἰς ἄλληλα ποιοῦσι καὶ πάσχουσι τὸ ἓν ἔχειν τὸ ὑποκείμενον. ὅτι γὰρ μὴ ὄντος ἑνός τινος τοῦ ὑποκειμένου, οὐχ οἷόν τε ἦν ὑπ' ἀλλήλων πάσχειν καὶ ποιεῖν εἰς ἄλληλα δείκνυσιν, ὅτι Διογένης ἔλεγεν μὴ τὴν θερμότητα εἶναι τὴν εἰς ψυχρότητα μεταβάλλουσαν ἢ τοὔμπαλιν. ἀδύνατον γὰρ τὸ ἐναντίον γίνεσθαι ὅπερ τὸ ἐναντίον. ἀλλὰ τὸ ὑποκείμενον κοινὸν ὂν τοῖς ἐναντίοις καὶ πάσχον ὑπό τινος ποιοῦντος μεταβάλλει εἰς ἑκάτερον. In quo cavendum, ne quis Philoponi auctoritate seductus Diogenis verba esse putet μὴ τὴν θερμότητα cet. Nam aperte haec ex Aristotelis loco sumsit, qui exempli causa has qualitates posuerat, quippe de quibus saepius Diogenes loqueretur.

ligeretur, non expresse attulisset, praesertim in tanta, qua in Diogenis Apolloniatae doctrina exponenda utitur, brevitate. Si vero res absolute inter se diversae in sese invicem transmutari nequeunt, hoc quoque intelligi non potest, quo modo eae vel inter se misceantur vel singula ex iis corpora oriantur, nisi quis mistionem dicat diversarum particularum compositionem eam, qua iuxta sese positae sint, ut atomi in Leucippi et Democriti doctrina. Itaque recte *Simplicius* ad phys. p. 9 b. *καὶ γὰρ ἀδύνατον,* inquit, *ἐκ πλειόνων ἀρχῶν μὴ κινουμένων γίνεσθαί τι. κοινωνεῖν γὰρ ἀλλήλοις δέονται.* Sed haec hactenus.

Cap. 32. Iacto igitur totius operis fundamento, sequebatur, ne unum illud, ceu navis gubernatore vel corpus anima, rectore suo destitutum esset, ut demonstraretur, inesse ei mentem. Atque in eo quidem occupatum Diogenem videmus fragmento IV. Sed priusquam ad hoc progrediamur, proponenda esse videtur alia eiusdem sententia, quam Simplicius suppeditat, loco tamen, unde desumserit, non indicato. Ceteris enim allatis fragmentis absolutisque iis, quae insuper e Diogenis libro addidit, pergit ita: *θαυμαστὸν δὲ,* inquit, *ὅτι κατὰ ἑτεροίωσιν τὴν ἀπ' αὐτοῦ λέγων τὰ ἄλλα γίνεσθαι, ἀΐδιον ὅμως αὐτό φησι, λέγων· καὶ αὐτὸ μὲν τοῦτο καὶ ἀΐδιον καὶ ἀθάνατον σῶμα. τῶν δὲ τὰ μὲν γίγνεται τὰ δ' ἀπολείπει. καὶ ἐν ἄλλοις· ἀλλὰ τοῦτό μοι δῆλον δοκεῖ εἶναι* cet. Ex his vero liquet, non eodem loco has duas, quas affert, sententias fuisse coniunctas. Dicit enim *ἐν ἄλλοις.* Quare quum prioris istius loci sedem inter fragmenta IV et VI quaerendam esse probabile sit, haec verba autem, de quibus agimus, generalem aliquam sententiam contineant, qua in universum *ταὐτοῦ* illius, quod principium esse ponebat, naturam, qualis ea sit, describat, sed ita, ut eum nondum aut aëris rationem habere aut accuratius de mentis natura exposuisse, quivis videat, hoc fragmentum ea, quae IV et V continentur, praecessisse, perspicuum est. Quibus de causis hunc ei locum attribuere non dubitavi, praesertim quum *Schleiermache-*

rum 1), sagacissimum harum rerum iudicem, eadem de hoc loco statuisse viderem.

Cap. 33. *Fragm. III.* Ἀλλὰ τοῦτό μοι δῆλον δοκέει εἶναι, ὅτι καὶ μέγα καὶ ἰσχυρὸν καὶ ἀΐδιόν τε καὶ ἀθάνατον καὶ πολλὰ εἰδός ἐστι.

ἀλλὰ τοῦτό μοι — εἶναι] τοῦτο i. e. principium, ταὐτὸ illud, e quo omnia facta sunt, et de quo fragm. II. egerat. δοκέει. Simpl. δοκεῖ. Vid. ad fr. I.

ὅτι καὶ μέγα] i. e. magnum, *late patens*, quippe quod per omnes res, quotquot sunt et ubicunque, diffusum sit. cf. fr. 7 καὶ ἐπὶ πᾶν ἀφῖχθαι καὶ ἐν παντὶ ἐνεῖναι. Statuit enim Diog. aërem rerum principium esse *infinitum*, ἄπειρον. *Simpl.* p. 6 a. e *Theophr.* τὴν δὲ τοῦ παντὸς φύσιν ἀέρα καὶ οὗτός φησιν ἄπειρον εἶναι καὶ ἀΐδιον. cf. eund. p. 104 a. — p. 105 b. τούτων δὲ οἱ μὲν ἕν τι στοιχεῖον ὑποτιθέντες, τοῦτο ἄπειρον ἔλεγον τῷ μεγέθει, ὥσπερ Θαλῆς μὲν ὕδωρ, Ἀναξιμένης δὲ καὶ Διογένης ἀέρα. Id. ad de Coelo p. 151 a. b. Ἀναξιμένης δὲ ἑταῖρος τοῦ Ἀναξιμάνδρου καὶ πολίτης ἄπειρον μὲν καὶ αὐτὸς ὑπέθετο τὴν ἀρχὴν . . . . τὸ αὐτὸ δὲ καὶ Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης ὑπέθετο.

καὶ ἰσχυρὸν] *validum, magna vi instructum.* Nam sola eius vi omnia procreata sint, necesse est, siquidem praeter hoc nihil. Cf. fr. 6. καὶ ὑπὸ τούτου πάντα καὶ κυβερνᾶσθαι καὶ πάντων κρατεῖν . . . . καὶ πάντα διατιθέναι. Similiter *Anaxag.* d. mente fr. 8. καὶ ἰσχύει μέγιστον.

καὶ ἀΐδιόν τε καὶ ἀθάνατον] ἀΐδιον omnino est sempiternum, nec de iis tantum rebus dicitur, quae nullo tempore interibunt (Arist. d. Coelo 1, 10. γενόμενον μὲν οὖν — τὸν οὐρανον — ἅπαντες εἶναί φασιν, ἀλλὰ γενόμενον οἱ μὲν ἀΐδιον, οἱ δὲ φθαρτὸν); sed de iis etiam, quae omni tempore fuerunt, nec unquam originem habuerunt. *Deff.* Pseudoplat. p. 411. Steph. ἀΐδιον τὸ κατὰ πάντα χρόνον καὶ πρότερον ὂν καὶ νῦν μὴ ἐφθαρμένον. Sic etiam in formulis ἀΐδιον καὶ ἀθάνατον, ἄφθαρτον καὶ ἀΐδιον, et talibus. Idem est ἀγέννητον καὶ ἀνώλεθρον. *Plat.* Tim. p. 52 a. (p. 63. Bek.) *Erat igitur illud ab omni tempore;* principii enim nulla origo: *neque unquam esse desinet,* quum ortum non sit. Ceterum animadvertendum, quod dicit ἀθάνατον, *non moriturum.* Respicit enim in his omnibus ad animalem principii vim, de qua iam accuratius dicturus est.

καὶ πολλὰ εἰδός ἐστι] *multarum rerum intelligens est. Anaxag.* d. mente fr. 8 καὶ γνώμην γε περὶ παντὸς πᾶσαν ἴσχει. ib. πάντα ἔγνω νοῦς.

1) p. 89. Von den beiden hier wörtlich angeführten Stellen nun haben wir, meine ich, keine Art von Gewissheit, dass sie auf das früher Angeführte folgen; denn sie sind ganz aus dem Zusammenhange heraus. Und wenn ich meine Meinung sagen soll, so scheinen mir diese Behauptungen als erste formale Bestimmungen des zu suchenden allgemeinen Substrats vorangestellt gewesen, und die Stellen aus jener ersten Gegend der Schrift zu sein, wo der Grundstoff noch nicht als Luft bestimmt war. est.

Cap. 34. In his vero quod Diogenes principium suum non maximum, sed magnum, non validissimum, sed validum, non omnium denique rerum, sed multarum intelligens dixit, id inde explicandum esse videtur, quod hoc loco in universum tantum ea, quae in principium cadant, describere vult, quorum quidque quatenus pateat, tum tandem accuratius definiendum est, ubi, quid sit rerum principium, aperuit. Illuc autem spectabam, quum in notis singula loca, ubi de his rebus in fragmentis ageret, apponerem. Praeterea nihil est, quod addendum sit, quam ut verbo moneatur, quae Simplicium, quum hunc locum legeret, subiit miratio, eam plane nullius esse momenti. Nam quod iste dicit, mirari sese, quod, quum Diogenes principium aeternum atque immortale diceret, idem tamen vario modo immutari statueret, quippe ex quo per *ἑτεροίωσιν* tanta rerum multitudo ac varietas oriretur: non reputavit vir ceteroquin sagacissimus, *ἑτεροίωσιν* illam non esse absolutam et perfectam (vid. ad fr. I.), ipsumque Diogenem claris verbis dicere, res omnes etiam nunc unum esse idemque, *τὸ αὐτὸ εἶναι* [1]. Sed res in aprico est.

Cap. 35. Haec igitur missa faciamus. Iam quum Diogenes fragm. III id, quod rerum principium esset, validum multarumque praesertim rerum intelligens esse dixisset, hac ratione viam sibi patefecit ad eam disputationem, qua multum *νοήσεως*, quam dicit, huic inesse ostenderet. Cuius quidem disputationis nisi tota summa, at bona certe pars servata est fragmento IV. Sic enim, exposito fragmento II, Simplicius p. 32, 6 pergit: *ἐφεξῆς δὲ δείξας, ὅτι ἐστιν ἐν τῇ ἀρχῇ ταυτῇ νόησις πολλή, οὐ γὰρ ἄν, φησιν*, cet. (in quo, ut in transitu hoc moneam, quisque, opinor, verba *νόησις πολλὴ* Diogenis esse

1) Cf. etiam *Ritter.* p. 48: Sollte aber hiermit wirklich etwas Widersprechendes gesetzt sein, so müste der Grundsatz aufgestellt sein, dass das Ewige nothwendig unveränderlich bleibe. Ein solcher aber ist bei dem Diogenes wenigstens nicht angegeben und Simplikios widerlegt ihn nur aus seinen eigenen Grundsätzen.

sentiet, quum Simplicius vix de suo addidisset πολλή.) Continet autem hoc fragmentum duo fere huius sententiae argumenta, et horum quidem alterum ex insigni ordine ac modo, ubique in rerum natura servato, petitum; alterum in eo positum, quod homines et reliqua animantia aëre vivunt hausto, moriunturque ipso destituti. Quamquam de vera posterioris argumenti ratione veroque cum reliquis nexu ambigi potest. Nam quum Diogenes hunc in libro suo ordinem secutus esse videatur, ut primo loco unum principium esse probaret, deinde demonstraret, multum huic inesse rationis; tertio denique exponeret, aërem esse id, quod rationem contineret: quaeritur utrum, de quo agimus, fragmentum iam ad tertium istum pertineat locum, rationesque in eo proponere putandus sit Diogenes, cur aërem maxime genuinam ac propriam νοήσεως sedem esse censeat; an ad secundum, in quo, aëris nondum ratione habita, in universum demonstrabat, principium, quidquid esset, νοήσει esse praeditum. Ad priorem tamen rationem quod attinet, Diogenes in iis, quae hunc locum praecedebant, haud ambigue aërem ut rerum principium proposuerit, necesse est: quod nullo pacto concedendum, licet ex iis verbis, quibus Simplicius de hoc loco utitur, haec sententia probabilitatis aliquam speciem nancisci videatur. Nam *ἐπάγει*, inquit, *ὅτι καὶ ἄνθρωπος καὶ τὰ ἄλλα ζῶα ἐκ τῆς ἀρχῆς ταύτης, ἥτις ἐστιν ἀὴρ, καὶ ζῇ καὶ ψυχὴν ἔχει καὶ νόησιν, λέγων οὕτως* cet. (sequitur fr. IV). At speciem tantum, non veram probabilitatem. Namque, ut ab his ipsis Simplicii verbis exeam, haud dubie fontem suum habent in eo, quod sequitur, fragmento, cuius sententiam, priusquam ipsum proferat, paucis anticipare vult: ubi tamen de eo, quod in hac re maximum est, *aërem* esse ἀρχὴν, ne verbum quidem reperitur. Qui porro autem, quaeso, accidere potuit, ut Simplicius, qui per totum hunc locum nihil maius habebat, quam ut Porphyrium Nicolaumque Damascenum refutaret, spretaque horum auctoritate aërem, non μεταξὺ illud, Diogeni rerum principium fuisse, ex ipso eius libro demonstraret, ita ut omnes Apolloniatae locos, qui minus ad hoc idem probandum fa-

cerent, in cumulum quasi adiecisse videatur; qui, inquam, accidere potuit, ut Simplicius eum locum, ubi, nisi sententiarum totum ordinem pervertisse Diogenem arbitramur, clare haud dubie atque aperte expositum erat id, quod tam studiose et cupide quaerebat, plane praeteriret ac negligeret, contra ad alia confugeret, unde non nisi ambagibus ad illud idem perveniri poterat? Denique quid faciamus fragmento VI, quod certo constat secutum esse quartum, ubi ab initio: „*mihi quidem*, inquit, *id*, *quod νόησιν contineat*, *aër esse videtur*, *quem vulgo dicunt?*“ — Haeccine autem commemoratio est rei dudum expositae? Imo vero nunc primum exponendae esse, nisi quis omni sensu communi careat, facile videbit. Quae quum ita sint, fragmento IV Diogenem nondum de aëre agere ut rerum principio, intelligitur. Contra sententiarum inter se connexio fuisse haec videtur. Probandum erat, multum νοήσεως inesse rerum principio, quidquid id erat. Quod quum multis institui posset, in iis tamen, quae aetatem tulerunt, duo tantum huius rei argumenta servata sunt: quorum alterum illud ex praeclaro in rerum natura ordine haustum clarum est, quid sibi velit; alterius autem in eo momentum positum esse videtur, quod respirando, i. e. *aliunde ac foris* homines et cetera animantia omnem tam rationalem quam vitalem vim in se recipere atque ita vitam sustentare deprehendimus, quod nullo prorsus pacto evenire possit, nisi magnam animae copiam per universam rerum naturam perfusam esse statuamus, unde suam homines et animalia hauriant. Ceterum Diogenem sententiae suae documenta elegisse talia, quibus facile deinceps aëre rerum principium constare intelligeretur, vix est, quod moneatur. Re autem ita exposita mihi quidem dubium non est, quin pariter, ac priore parte fr. IV, hac quoque posteriore, de qua agimus, argumentum contineatur, quo inesse principio νόησιν probetur. Omnes enim res etiam nunc principii naturam tenere et conservare, saepius dictum est, ut, ubi demonstratum sit, in rebus, quales nunc sunt, deprehendi νόησιν, simul pateat, eandem rerum prin-

cipio inesse. Sed pergendum ad ipsum fr. IV. accuratius contemplandum.

Cap. 36. *Fragm. IV.* *Οὐ γὰρ ἂν οὕτω δέδασθαι οἷόν τε ἦν ἄνευ νοήσιος, ὥστε πάντων μέτρα ἔχειν, χειμῶνός τε καὶ θέρεος καὶ νυ-*

Simpl. p. 32 b. *ἐφεξῆς δὲ δείξας, ὅτι ἔστιν ἐν τῇ ἀρχῇ ταύτῃ νόησις πολλή, οὐ γὰρ ἄν, φησιν, οὕτω δέδασθαι — κάλλιστα, ἐπάγει, ὅτι καὶ ἄνθρωπος καὶ τὰ ἄλλα ζῶα ἐκ τῆς ἀρχῆς ταύτης, ἥτις ἐστὶν ἀήρ, καὶ ζῇ καὶ ψυχὴν ἔχει καὶ νόησιν, λέγων οὕτως· ἔτι δὲ πρὸς τούτοις* cet. Verba ita cohaerent: *ἐφεξῆς δὲ δείξας — ἐπάγει.* Utitur autem maxime hac loquendi formula Simplicius, ubi ea, quae proxime eum locum, quo petit, praecedunt, nexus causa addit; ut dubium non sit, quin verba Diogenis *ἔτι δὲ* cet. exceperint ista: *ὡς ἄνυστον κάλλιστα.* cf. *Simpl.* ad phys. p. 33 b. ib. Anax. fr. *καὶ μέντοι εἰπὼν ἐνεῖναι πολλά τε καὶ παντοῖα — ἐπάγει καὶ τοῖς γε ἀνθρώποισιν* cet. coll. eodem loco p. 8. — p. 38 a. *εἰπὼν γὰρ ὅτι τῆς περιχωρήσεως ἔστιν αἴτιος ὁ νοῦς, ἐπάγει· ἡ δὲ περιχώρησις* cet. coll. fr. Anax. 8. — p. 66 b. *εἰπὼν ὅτι τῶν μαθηματικῶν ἐπιστημῶν αἱ μὲν — εἰκότως ἐπάγει* cet. coll. textu Aristot. 2, 2. Praeterea p. 61 a. ima pagina. Similiter p. 60 a. *εἰπὼν — παρατίθεται.* p. 65 a. *εἰπὼν — φησί.* p. 59 a. *ὁρισάμενος — ἐπάγει.* p. 321 a. *εἰπὼν — ἐπάγει· οἱ μὲν οὖν* cet.

Οὐ γὰρ ἂν οὕτω δέδασθαι οἷόν τε ἦν] *Non enim fieri potuit, ut rerum principium,* de quo huc usque egerat, (*ταύτῃ τῇ ἀρχῇ*, Simpl. ait), *sic* i. e. *tam praeclaro ordine et modo servato,* quod ipse in iis, quae sequuntur, exemplis illustrat, *distributum sit,* sub variis, dicit, quas induit formis; ipsum enim per se infinitum est, universumque complet mundum, ut nullus locus relictus sit, ubi minus deprehendatur, nec omnino distributio hoc sensu in id cadat.

ἄνευ νοήσιος] *ratione destitutum, vacuum* i. e. nisi vis rationalis ei insit. Nam extra principium ea posita esse nequit, quum nihil sit omnino extra id positum, quod quidem in rerum naturam vim habeat. *νόησιν* verti: *rationem*, propterea quod hoc loco hanc potissimum eius vim spectat. Ceterum omnem et rationalem et animalem animi vim hac voce Diogenem comprehendisse, infr. demonstrabitur. *Ritter* Ion. Phil. p. 45. not. 11. Man kann *νόησις* eben so gut *Vernunft* übersetzen (ipse in versione sua posuit: *Verstand*;) aber man muss dabei weder an die eine noch die andre gesonderte Geistesthätigkeit, welche man mit diesem Namen zu bezeichnen pflegt, denken. Simplicius ipse hic Ionicam formam retinuit, pariter ac fragm. VI, ubi integrae relictae sunt formae *ἑτεροιώσιες* et *ἑτεροιώσιος*.

ὥστε πάντων μέτρα ἔχειν] *μέτρον, modus, mensura* in universum; sed saepissime *de iusto modo* cum vi dicitur. *Deffin.* in calce Plat. p. 415 Steph. *μέτρον τὸ μέσον ὑπερβολῆς καὶ ἐλλείψεως. Heraclit.* ap. Schleierm. p. 344. *χρὴ δὲ καιροῦ μέτρα εἰδέναι.* Idem, fr. 25. p. 374. *κόσμον τὸν αὐτὸν ἁπάντων οὔτε τις θεῶν οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησεν· ἀλλ' ἦν ἀεὶ καὶ ἔσται πῦρ ἀείζωον, ἁπτόμενον μέτρα καὶ ἀποσβεννύμενον μέτρα.* fr. 30. p. 394. *Ἥλιος οὐχ ὑπερβήσεται μέτρα*, quem locum *Plutarch.* d. Isid. et Osirid. p. 270. ita effert: *ἥλιον δὲ μὴ ὑπερβήσεσθαι τοὺς προσήκοντας ὅρους.* cf. *Plat.* Legg. p. 698. Steph. (p. 321. Bek.) et saepiss.

χειμῶνός τε καὶ θέρεος — εὐδιῶν] Simpl. *θέρους.* Sic etiam fr. 6. *πλήθους* et apud Anax. fr. 6. idem. Nihilominus correxi ex communi Ionum usu, sicut etiam *ἡμέρης*, pro quo habet *ἡμέρας.* Vid. ad fr. I.

κτὸς καὶ ἡμέρης καὶ ὑετῶν καὶ ἀνέμων καὶ εὐδιῶν. καὶ τὰ ἄλλα εἴ τις βούλεται ἐννοέεσθαι, εὑρίσκοι ἂν οὕτω διακείμενα, ὡς ἀνυστὸν κάλλιστα. Ἔτι δὲ πρὸς τούτοις καὶ τάδε μεγάλα σημεῖα· ἄνθρωπος γὰρ καὶ τὰ ἄλλα ζῶα ἀναπνέοντα ζώει τῷ ἀέρι. Καὶ τοῦτο αὐτοῖς

Cum his omnibus autem ab elocutione quodammodo conferri potest *Plat.* Cratyl. p. 410 c. §. 59. *Heind.* ὧραι γάρ εἰσι διὰ τὸ ὁρίζειν χειμῶνάς τε καὶ θέρη καὶ πνεύματα καὶ τοὺς καιροὺς πρὸς τοὺς καρποὺς ἐκ τῆς γῆς. ὁρίζουσαι δὲ δικαίως ἂν ὧραι καλοῖντο.

καὶ τὰ ἄλλα εἴ τις — ἐννοέεσθαι] *et reliquas etiam in rerum natura vicissitudines si quis animo considerare et perpendere voluerit.* Simpl. habet ἐννοεῖσθαι.

εὑρίσκοι ἂν οὕτω διακείμενα] διακείμενα i. e. διατεθειμένα (fr. 6.), δεδασμένα, διακεκοσμημένα.

ὡς ἄνυστον κάλλιστα] *quam fieri potest pulcherrime.* Continent haec ἐπεξήγησιν vocis οὕτω, quod ea de causa appositum est, ut legentium animos ad verba ὡς ἀν. καλ. prae ceteris dirigat.

ἔτι δὲ πρὸς τούτοις — σημεῖα] Sequitur alterum argumentum, de quo supra diximus. σημεῖον est signum, quo quid clarum fit. Apud philosophos idem ac τεκμήριον, si quid exemplis allatis, in quibus omnes consentiunt usu et experientia edocti, probatur. Unde in physicorum demonstrationibus maxime invenitur haec ratio. Nam οἱ πρότερον ἀναποδείκτως ἀπεφαίνοντο. *Eudem.* ap. Simpl. p. 26 a. idem p. 25 a. Frequentissime hac voce utuntur *Aristoteles*, *Hippocrates*, alii; rarius *Plato*, cui magis usitata vox τεκμήριον. cf. Tim. p. 71 d. ἱκανὸν δὲ σημεῖον, ὡς μαντικὴν ἀφροσύνῃ θεὸς δέδωκεν. οὐδεὶς γὰρ ἔννους cet. Theaet. 153 a. (p. 198. Bek.) Ceterum μέγα σημεῖον, μέγα τεκμήριον solemnis fere formula. Cf. Plat. Apol. Socr. p. 40 c. (187. Bek.) Menex. p. 237 d. (384. Bek.) Hippi. Mai. p. 282. fin. (412. Bek.) Minos p. 321 b. (267. Bek.) μέγιστον σημεῖον. *Heind.* ad Phaedo. p. 136. qui citat Sympos. 195 b. Parmen. §. 4. τεκμήρια πάμπολλα καὶ παμμεγέθη. *Aristoph.* Nub. 369.

ἄνθρωπος γὰρ καὶ τὰ ἄλλα ζῶα ἀναπνέοντα ζώει τῷ ἀέρι] Quaeritur, utrum ἀναπνέοντα pertineat ad ζῶα, ut sit: omnia animalia, quae spiritum ducunt, (*Ritter:* denn der Mensch und die athmenden Thiere leben durch die Luft;) an ad ζώει, hoc sensu: omnia animalia, quippe respirantia s. respirando vivunt aëre, (*Schleiermach.* der Mensch nemlich und die übrigen Thiere leben durch das Athmen aus der Luft). Accedo equidem priori rationi. Nam in altera omnis sententiae vis in respirando posita foret, quum tamen nunc quidem perinde sit, quo tandem modo aëre vivant homo et animalia, et hoc unum spectetur, vivere aëre. Neque tamen abundat ἀναπνέοντα, quando quidem ex vul ari hominum opinione non omnia animalia spiritum ducunt, ut ipsi Diogeni, pisces et ostreas respirare, probandum esset. Sic Aristoteles quoque haec animalia spiritum ducere negat.

καὶ τοῦτο αὐτοῖς καὶ ψυχή ἐστι καὶ νόησις] τοῦτο. Quidnam hoc? *Schleierm.:* το ἀναπνεῖν, ex ἀναπνέοντα repetendum; cui accedo. *Ritter:* ὁ ἀήρ. Vertit enim: *diese.* At qui, quaeso, hanc generis enallagen, quam dicunt, excusabis, ne dicam defendes? — ψυχὴν vero et νόησιν coniungit, ut universam animalem naturam in homine et animalibus in unum comprehendat. ψυχὴ enim ad eam maxime animi vim

καὶ ψυχή ἐστι καὶ νόησις, ὡς δεδήλωται ἐν τῇδε τῇ συγγραφῇ ἐμφανέως. Καὶ ἐὰν τοῦτο ἀπαλλαχθῇ, ἀποθνήσκει καὶ ἡ νόησις ἐπιλείπει.

spectat, qua vivimus, νόησις contra ad rationalem, ad mentem, qua cogitamus.

ὡς δεδήλωται — ἐμφανέως] Schleierm. p. 82. wie hier in dieser Schrift ganz deutlich *gezeigt wird*. At dicit: *δεδήλωται*, *demonstratum est*, ut de re iam peracta. Cf. *Plat.* Phileb. p. 30. D. *Arist.* d. part. Anim. 3, 10. p. 534. ed. Du Vall. At in iis, quae ad hunc locum in Diogenis libro exposita erant, horum nihil demonstratum esse potuit. Sed suam hoc loco scripturam (ἐν τῇδε τῇ συγγραφῇ) opponit aliorum libris, in quibus id, quod dicit, non expositum erat: in quo eum iam perfectum et absolutum opus suum cogitasse animo, rei consentaneum est. Hinc δεδήλωται. — Simpl. ἐμφανῶς.

καὶ ἐὰν τοῦτο — ἐπιλείπει] h. e. *et quando aëris usu prohibita sunt*, *moriuntur et ratio ipsa deficit*, *ratione privantur.*

καὶ αὐτὸ μὲν τοῦτο] hoc rerum principium, quale in iis, quae praecesserunt, descripsit.

Cap. 37. Huc usque vix dubitatio de serie fragmentorum constituenda oriri potuit, quum, si tertium excipias, cui ipsi locum suum assignavimus, Simplicius nos quasi dux praeiret, rectamque viam monstraret. Sed in eo fragmento, quod iam sequitur, huius auxilio destituti sumus. Affert enim hunc Diogenis locum Simplicius extra ordinem aliorum, postquam reliqua iam omnia proposuit, una cum fragmento III, ubi eius verba apposita sunt. Vid. cap. 32. Quae vero me moverunt, ut hoc loco eum collocaverim, haec sunt. Manifesto enim loquitur in eo de rerum principio, sed ita, ut facile ex totius loci habitu appareat, eum nondum definiisse, quale id sit; et quod Simplicius ad ipsum iam aërem hunc locum refert, id haud dubie fecit, quod tum demum haec profert, quum aërem esse e Diogenis sententia principium iam demonstrasset. Sed vel neutrum pronominis genus, quo utitur, abunde ostendit, Diogenem nondum aërem dicere. Unde dubitari nequit, quin hic locus praecesserit fr. VI. Deinde vero etiam ex ipso eius argumento, post fragmentum IV eum collocandum esse, demonstrare posse mihi videor, sed tum demum, quum, quid Diogenes dicat, ac-

curatius explicatum fuerit. Videtur autem universam principii naturam hac sententia breviter complexus esse, ut iam generaliori huius rei expositioni finem imponeret.

Cap. 38. *Fragm. V.* *Καὶ αὐτὸ μὲν τοῦτο καὶ ἀΐδιον καὶ ἀθάνατον σῶμα· τῶν δὲ τὰ μὲν γίγνεται τὰ δ' ἀπολείπει.*

καὶ ἀΐδιον καὶ ἀθάνατον σῶμα] Quum σῶμα apud philosophos saepe animo oppositum sit, ut sit id, quod partibus corporeis constet; hoc vix in Diogene locum habere potest, quum propriam animi vim et naturam per se exsistentem et a corporea natura quasi avulsam omnino non agnoscat. Quare nihil superest, quam ut eodem modo intelligamus, quo de hominis animaliumque corpore loquimur: qui quidem usus in omnibus antiquioribus physiologis obtinuisse videtur. Corpus vero in *talibus animae sedes et quasi receptaculum cogitatur.* Atque hoc sensu Diogenes principium dicit *corpus*. Inest enim principio ex eius doctrina ψυχὴ et νόησις πολλή, huiusque nunquam deficiens vis ubique in rebus conspicua est, ut iure id animantium corpori comparare posset, quippe anima perfusum. Hoc vero corpus non ut reliqua animantium corpora, quae modo fr. 4. mori et ratione destitui dixerat, interitui subiectum est, sed *expers omnis et ortus et interitus* (ἀΐδιον καὶ ἀθάνατον σῶμα. vid. ad fr. 3.), reliquaque corpora nutrit ac sustentat fr. 4. Ceterum plerique antiqui physiologi mundum animatum esse statuebant, quod praecipue *Ritter.* in Hist. philos. Ion. in singulis demonstravit. Heraclitus vocat τὴν οὐσίαν τοῦ παντὸς αἰθέριον σῶμα, Schleierm. p. 455. *Plato* vero et ipse eodem modo mundum appellat σῶμα. Phileb. p. 29 b. §. 54. *Stallb.* πάντα γὰρ ἡμεῖς ταῦτα τὰ νῦν δὴ λεχθέντα ἆρ' οὐκ εἰς ἓν ξυγκείμενα ἰδόντες ἐπωνομάσαμεν σῶμα; Πρ. τί μήν; Σω. Ταὐτὸν δὴ λαβὲ καὶ περὶ τοῦδε, ὃν κόσμον λέγομεν. διὰ τὸν αὐτὸν γὰρ τρόπον ἂν εἴη που σῶμα, ξύνθετον ὂν ἐκ τῶν αὐτῶν. Et paullo inferius: Σω. τὸ παρ' ἡμῖν σῶμα ἆρ' οὐ ψυχὴν φήσομεν ἔχειν; Πρ. δῆλον ὅτι φήσομεν. Σω. πόθεν, ὦ φίλε Πρώταρχε, λαβόν, εἴπερ μὴ τόγε τοῦ παντὸς σῶμα ἔμψυχον ὂν ἐτύγχανε, ταὐτά γε ἔχον τούτῳ καὶ ἔτι καλλίονα. Cf. Tim. p. 30 b. (p. 26. Bek.) νοῦν δ' αὖ χωρὶς ψυχῆς ἀδύνατον παραγενέσθαι τῳ. διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τόνδε νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δὲ ἐν σώματι ξυνιστὰς τὸ πᾶν ξυνετεκταίνετο, ὅπως ὅτι κάλλιστον εἴη κατὰ φύσιν ἄριστόν τε ἔργον ἀπειργασμένος. οὕτως οὖν δὴ κατὰ λόγον τὸν εἰκότα δεῖ λέγειν τόνδε τὸν κόσμον ζῶον ἔμψυχον ἔννουν τε τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ γενέσθαι πρόνοιαν.

τῶν δὲ τὰ μὲν — ἀπολείπει] τῶν δὲ i. e. τούτων δέ, reliquorum puta corporum, de quibus locutus erat. Horum *alia oriuntur alia cessant esse certae res;* redeunt enim in id, unde exorta erant, (καὶ ἐς τὸ αὐτὸ ἀναχωρέει fr. 2.) sed non penitus exstinguuntur. Hinc non dicit: ἀπόλλυται, sed ἀπολείπει. Cf. *Arist.* phys. 2, 1. καὶ τούτων μὲν (principia dicit, quae quisque physiologorum posuerit;) ὁτιοῦν εἶναι ἀΐδιον. οὐ γὰρ εἶναι μεταβολὴν αὐτοῖς ἐξ ἑαυτῶν; τὰ δ' ἄλλα γίγνεσθαι καὶ φθείρεσθαι ἀπειράκις. — Pro *γίνεται*, quod Simpl. praebet, antiquiorem formam restitui.

Sed iam adiiciendum, quod cap. 37. praeteritum est, ut clarum fiat, quibus rationibus adducti hoc fragmentum post quintum tandem posuimus. Nam Diogenes in eo principium aeternum corpus appellat. Quum vero hoc nomine id appellare non posset, nisi id maxime spectaret, quod animatum esset et *νοήσεως* sedes; eum iam antea argumentis probasse necesse est, *νόησιν* esse in principio; unde de genuina huius fragmenti sede nulla dubitatio relicta sit. Nam quod dicere quis possit, hunc, de quo agimus, locum fragmentum etiam IV praecessisse, Diogenemque omnia ea, quae de *νοήσει* doceret, eo consilio addidisse, ut huius sententiae paucis et simpliciter propositae rationem redderet eamque uberius illustraret: huic tota fragmenti IV ratio ac forma repugnat. Unde non vereor, ne quis sit, qui eam iterum movere velit de loco suo, cui omnia quam pulcherrime conveniunt. Videntur autem in ea ipsa sententia et si quae alia insuper nexus causa addita erant, pauca ista comprehensa fuisse, quae inter fragment. IV et VI Simplicius a se omissa dicit.

Cap. 39. His expositis accuratius iam Diogenes principii naturam definire aggreditur. In *aëre* rerum initium esse collocatum ponit. Haud multum tamen moratus statim ad mentis naturam, quatenus aëre contineatur, exponendam progressus esse in eaque re usque ad finem libri I perrexisse videtur. Quum vero in aëre non omnes consentiant, sed Nicolaus et Porphyrius [1]), haud contemnendi auctores, quos passim etiam Simplicius [2]) sequitur, mediam quandam inter aërem et ignem naturam a Diogene principium habitum esse dicerent: priusquam ipsius Diogenis de aëre testimonium audiamus, operae pretium videtur, omnes veterum locos, quos invenire poteram, huc in unum congerere, ut vulgo inter veteres Diogeni aërem principium tributum esse, nec facile fuisse praeter Nico-

---

1) Cf. Simpl. p. 32 b. supr. laud. et p. 6 a.

2) in phys. p. 44 a. Διογένης δὲ τὸ μεταξύ.

laum et Porphyrium, qui ei Aristotelis illud *μεταξὺ* adscriberent, liquido intelligatur. *Aristot.* d. Anim. 1, 2: *Διογένης δ' ὥσπερ καὶ ἕτεροί τινες, ἀέρα τοῦτον οἰηθεὶς πάντων λεπτομερέστατον εἶναι καὶ ἀρχήν.* *Idem* Metaph. 1, 3. *Ἀναξιμένης δ' ἀέρα καὶ Διογένης πρότερον ὕδατος καὶ μάλιστ' ἀρχὴν τιθέασι τῶν ἁπλῶν σωμάτων.* *Theophr.* ap. Simpl. ad phys. p. 6. a. *τὴν δὲ τοῦ παντὸς φύσιν ἀέρα καὶ οὗτός φησιν.* *Alexand. Aphrod.* ad Arist. Metaph. 1, 24. p. 7 ed. Venet. Hippo narratur posuisse pro principio simpliciter humidum indeterminate, non explicans, aquane sit, ut Thales, an aër, ut Anaximenes et Diogenes. *Eod. fol.* Post haec de iis verba facit, qui aërem principium esse dicebant, ipsam ante aquam statuentes, qui quidem fuerunt Anaximes Milesius et Diogenes Apolloniata. *Id.* I, 36. p. 10. Nam, ut dictum est, Anaximenes et Diogenes aërem principium esse ponebant. *Clem. Alex.* Strom. I, p. 296. B. *στοιχεῖα δὲ σέβουσι Διογένης μὲν τὸν ἀέρα, Θαλῆς δὲ τὸ ὕδωρ* cet. *Idem* Admon. ad Gent. p. 42. C. *στοιχεῖα μὲν οὖν ἀρχὰς ἀπέλειπον ἐξυμνήσαντες Θαλῆς ὁ Μιλήσιος τὸ ὕδωρ, καὶ Ἀναξιμένης ὁ καὶ αὐτὸς Μιλήσιος τὸν ἀέρα, ᾧ Διογένης ὕστερον ὁ Ἀπολλωνιάτης κατηκολούθησεν.* *Galen.* d. hist. philos. cap. 5. ed. Chart. *Ἀναξιμένης δὲ καὶ Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης ἀέρα.* *Sext. Empir.* Pyrrh. hypot. III, 4. B. *Φερεκύδης μὲν εἶπεν, γῆν πάντων εἶναι ἀρχὴν .... Ἀναξιμένης δὲ καὶ Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης ἀέρα.* *Idem* adv. Math. p. 364. B. *Ἀναξιμένης δὲ καὶ Ἰδαῖος ὁ Ἱμεραῖος καὶ Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης ἀέρα.* *Diogen. Laërt.* IX, 57. *στοιχεῖον εἶναι τὸν ἀέρα.* Plane eadem, atque hic, habet *Eudocia* Viol. s. v. Diog. physic. *Theodoret.* Gr. affect. cur. serm. I. p. 22, 37. ed. *Sylb.* *Ἀναξιμένης δὲ, ὁ τούτου (Ἀναξιμάνδρου) διάδοχος, καὶ Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης, τὸν ἀέρα συμφώνως ἀρχὴν προσηγορευσάτην.* *Idem* ib. p. 58, 8. *ὁ δὲ Ἀπολλωνιάτης Διογένης ἐκ τοῦ ἀέρος ἔφη ξυστῆναι τὸ πᾶν.* *Euseb.* praep. evang. 17. ed. Lutet. *Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης ἀέρα ὑφίσταται στοιχεῖον.* *August.* d. civ. Dei 8, 2. Diogenes quoque, Anaximenis alter auditor,

aërem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent: sed eum esse compotem divinae rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset. *Stobaeus* Ecl. phys. I, p. 305. *Heer*. *Διογένης δὲ ὁ Ἀπολλωνιάτης ἀέρα ἄπειρον*. *Sidon. Ap.* I, supr. laud. *Ioann. Philop.* d. Anim. c. 7. *Διογ. ὁ Ἀπολλ. καὶ Ἀναξιμένης ἀρχὴν τῶν ὄντων τὸν ἀέρα λέγοντες, ἐκ τούτου καὶ τὴν ψυχὴν ἔλεγον*. *Id.* ad Arist. de gener. et corr. p. 3. *εἰσὶ δὲ καὶ οἱ ἓν τὸ ὑποκείμενον ποιοῦντες ὡς Θαλῆς μὲν ὕδωρ, Ἀναξιμένης δὲ καὶ Διογένης τὸν ἀέρα*. *Id.* ibid. p. 46. *ἀέρα δὲ Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης καὶ Ἀναξιμένης*. *Id.* ad phys. p. 10. *Διογ. μὲν οὖν ὁ Ἀπολλ. καὶ Ἀναξιμένης τὸν ἀέρα ὑπέθεντο ἀρχὴν εἶναι διά τε τὸ εὔπλαστον καὶ ὡς ἐν σώμασιν ἀσώματον καὶ ἀνεπαίσθητον μᾶλλον*. *Id.* ad Arist. Metaph. p. 3. Hinc dicit de Melisso et Parmenide .... neque enim materialem faciebant causam unum, ut Thales aquam et Diogenes aërem. *Id.* ibid. p. 4. et unam materiam dixerunt et etiam plures: et sive corpus, ut Thales, Diogenes, et Empedocles, sive incorpoream, ut Plato. *Simpl.* ad phys. p. 32. a. *πάντες μὲν γὰρ σωματικόν τι τὸ ἓν ὑποτίθενται τοῦτο· ἀλλ' οἱ μὲν ἕν τι τῶν τριῶν στοιχείων· ὥσπερ Θαλῆς μὲν καὶ Ἵππων τὸ ὕδωρ· Ἀναξιμένης δὲ καὶ Διογένης τὸν ἀέρα*. *Ibid.* p. 104. a. *οἱ μὲν ἀέρα ἄπειρον ὑποτιθέντες ὡς Ἀναξιμένης καὶ Διογένης*. p 105. b. *τούτων δὲ οἱ μὲν ἕν τι στοιχεῖον ὑποτιθέντες τοῦτο ἄπειρον ἔλεγον τῷ μεγέθει, ὥσπερ Θαλῆς μὲν ὕδωρ· Ἀναξιμένης δὲ καὶ Διογένης ἀέρα· Ἀναξίμανδρος δὲ τὸ μεταξύ*. p. 110. b. *πάλιν γὰρ λέγει, ὅτι εἰ συμβεβηκός, οὐκ ἐνδέχεται αὐτὸ λέγειν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον, ἀλλ' ἐκεῖνο, ᾧ συμβέβηκεν, εἴτε ἀὴρ ἔστιν, ὡς ὁ Διογένης ἔλεγεν, εἴτε τὸ ἄρτιον, ὡς οἱ Πυθαγορεῖοι*. *Id.* in Arist. d. Coel. p. 148. a. *ἦσαν δέ τινες οἱ ἓν λέγοντες Θαλῆς μὲν καὶ Ἵππων ὕδωρ, Ἀναξιμένης δὲ καὶ Διογένης ἀέρα*. ib. p. 151. a. b. *καὶ ἕνα ἕκαστον τῶν κόσμων ἐξ ἀπείρου τοιούτου στοιχείου ὑπέθετο· Ἀναξιμένης δὲ, ἑταῖρος τοῦ Ἀναξιμάνδρου καὶ πολίτης, ἄπειρον μὲν καὶ αὐτὸς ὑπέθετο τὴν ἀρχήν, οὐ μὴν ἀδιόριστον. ἀέρα μὲν γὰρ ἔλεγεν εἶναι, οἰόμενος ἀρκεῖν τὴν τοιάνδε τοῦ ἀέρος ῥαδίαν ἀλλοίωσιν πρὸς μεταβολήν. τὸ αὐτὸ δὲ*

καὶ Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης ὑπέθετο. Hoc idem *Ciceronis* denique loco inesse videtur d. Natur. Deor. 1, 2: Quid aër, quo Diogenes Apolloniates utitur deo, quem sensum habere potest aut quam formam dei? —

Cap. 40. Iam quum ex horum omnium consensu satis certum sit, aërem esse Diogeni rerum initium, idque fragmentis eius confirmetur: non id quaerendum, rectene Nicolaus et Porphyrius *τὸ μεταξὺ* ei tribuerint, quam explicandum potius, quo modo in tantum errorem inciderint. Ab Aristotele exeundum est. Is enim quum compluribus locis [1]), ubi de principiis agit, quae physiologi posuerint, fuisse quosdam dicat, qui medium quiddam sive inter ignem et aërem, sive inter aërem et aquam statuissent; nullo tamen loco nominatim eos commemorat. Ac profecto difficile est, in iis philosophis, quorum notitia servata est, invenire aliquem, cui tale principium adscribi iure quodam possit. Quamobrem iam interpretes Aristotelis, ubi ad hos locos explicandos perventum est, quo vertantur, anxie haerent, praesertim quum probe sentiant, ne Anaximandri quidem *ἄπειρον* commode huc referri posse [2]); quanquam de meliore rei explicatione desperantes passim huc trahant. Quum igitur non haberent interpretes, in quem mediam illam naturam conferrent, Schleiermacherus (p. 84) placitum illud Diogeni, quem in Ionicorum philosophorum numero nominatum reperirent, sed parum novissent, supposuisse eos censet, eo fortasse permotos, quod a calore aliquo, qui hac de causa propria ei ac genuina aëris species, vel primum saltem aëris *πάθος* videretur necesse esset, omnem vivendi causam et originem repetere eum viderent. Hanc quidem *Schleiermacherus* explicationem accuratius etiam et uberius in ea commentatione, quam de Anaximandro scripsit, per-

1) De Coel. 3, 5. Phys. 3, 4. ib. 1, 5. Metaph. 1, 6.

2) Cf. *Simpl.* ad phys. p. 32 a. *καὶ μέντοι κοινῶς περὶ τῶν προειρημένων ἐπήγαγεν, ὅτι τὰ ἄλλα γεννῶσι μανότητι καὶ πυκνότητι, καίτοι τοῦ Ἀναξιμάνδρου, ὡς αὐτός φησι, μὴ οὕτω γεννῶντος, ἀλλὰ κατὰ ἔκκρισιν τὴν ὑπὸ τοῦ ἀπείρου. πῶς οὖν εἰ τοῦτον ἔλεγεν εἶναι τὸν σῶμα ἀδιορίστως ὑποτιθέμενον, κοινῶς ἐπήγαγε τὴν κατ' ἀλλοίωσιν γένεσιν;*

sequitur. Sed quo clarius res perspiciatur, ipsa Viri clarissimi verba repetere iuvat (p. 107). Ich habe zwar anderwärts gezeigt, dass auch dem Diogenes von Apollonia ienes Zwischenwesen nicht könne als sein Urstoff beigelegt werden, weil er mit dem Anaximenes der Luft diesen Platz anwies; dennoch ist es leicht möglich, dass Aristoteles, wo er dieses Zwischenwesen anführt, keinen Andern gemeint hat. Denn wir haben gesehn, dass Diogenes sehr bald in seinem Werk auf das Einzelne überging, und sich mit diesem am meisten beschäftiget hat. Nun aber ist es aus einigen Spuren wahrscheinlich, dass er als specielles Princip des organischen Daseins eine warme Luft annahm, wie sie beim Athmen, welches ihm die ursprüngliche Lebenserscheinung war, vorkommt, als Princip des unorganischen Daseins aber die ἰκμάς, eine feuchte, nicht lebenswarme Luft, in welcher die natürlichen chemischen Processe am besten von statten gehn. Wenn er nun von der Luft im Eingange weniges, weit mehr aber von diesen beiden besonderen Principien gesagt, die er leicht iedes an seiner Stelle von der gemeinen Luft kann unterschieden haben: so kann leicht sein, dass Aristoteles geschwankt, und ihm bald die Luft, bald diese beiden Mitteldinge beigelegt hat, wie er denn auch fast abwechselnd und unter sehr gleichen Umständen beide anführt, wie sie sich dem Diogenes in der unmittelbaren Anordnung aus dem Einen differenzirten, hier das zwischen Luft und Feuer, dort ienes zwischen Luft und Wasser. Hactenus Schleiermacherus; acutius tamen, ut videtur, quam verius. Nam hoc in eius explicatione me offendit, quod Aristotelem dubitasse dicit, quodnam Diogeni principium daret. Aristoteles enim compluribus locis (vid. supr.) Diogenem disertis verbis aërem posuisse principium affirmat, ne minimam quidem dubitantis speciem praebens, idque eo etiam loco, ubi de ipsa animi natura, qualis e Diogenis sententia fuerit, loquitur (d. Anim. 1, 2.), in quo, sicubi alias, profecto mediam inter ignem et aërem naturam afferre debebat, si quidem Diogenes animi vim in calidiore aëre ponebat. Sed non facit. — *Ritterus* deinde revera in Nicolai et Porphyrii

sententiam inclinare et caute magis, quam ex animi sententia loqui videtur, quum Diogenem ea ipsa ratione, qua de principio suo locutus sit, ansam huic opinioni dedisse videri, dicat (p. 57.): cui quidem sententiae inprimis favere censet, quod Diogenes animam omnium animantium esse aërem, calidiorem quidem eo, in quo nos sumus, sed multo frigidiorem, quam qui circa solem sit, affirmat fr. VI. Pergit enim ita: Um den Zusammenhang dieser Aeusserung mit unserer Vermuthung in das richtige Licht zu setzen, ist zu bemerken, dass Diogenes von der Analogie zwischen Welt und Menschen ausgehend, das Wesen und den Grund iener in der Seele suchte, so wie diese sich ihm aber als ein warmes Aus- und Einathmen der Luft verkündete, so scheint er auch das Grundwesen der Welt als warme Luft, vielleicht aber als viel wärmere, als der lebendigen Menschen Athem, vielleicht als brennend, wie die Umkreisung der Erde [1]) angesehn zu haben.“ Quamvis haec speciem aliquam veritatis habeant, equidem tamen a me impetrare non possum, ut Rittero assentiar. Repugnare enim videntur iis, quae de Diogenis doctrina ex aliis scriptoribus comperta habemus, quod mox ostendere conabor.

Cap. 41. His expositis meam qualemcunque de hac re sententiam in medium proferre liceat. Ac mihi quidem, aperte ut dicam, quid sentiam, Aristoteles, ubi de media illa natura loquitur, de Diogene ne cogitasse quidem videtur, quando quidem, uti dictum est, haud obscure aërem eum habuisse ἀρχὴν testatur; sed omnis erroris fons in Nicolao, a quo hanc opinionem ad reliquos propagatam esse constat, quaerendus est. Quanquam nescire fateor, ad quosnam τὸ μεταξὺ illud Aristoteles referat. Puto equidem, ignobiliores quosdam sui temporis philosophos eum significare, quos, nescio quibus de causis, nomine appellare noluerit: quod quidem ea ratione, qua Metaphys. 1, 6. de his loquitur, probabile mihi videtur. *Καὶ γάρ,* inquit, τοιου-

1) Provocat h. l. ad *Diog. Laërt.* 9, 57: παρὰ τοῦ ἐκ τοῦ θερμοῦ περιφοράν. Sed vid. infr. cap. 69.

τόν τινες εἰρήκασιν εἶναι τὸ πρῶτον στοιχεῖον. Sed accuratius in hanc rem inquirere, non huius loci est. Id enim nunc agimus, ut explicemus, quomodo Nicolaus cum iis, qui eum sequuntur, in hanc opinionem aberraverit. Causam vero huius rei existimo esse hanc. In libro de Anima (1, 2) Aristoteles canonem aliquem proponit, ex quo physici eandem, quam principii, animae etiam naturam statuerint: *διαφέρονται δὲ περὶ τῶν ἀρχῶν, τίνες καὶ πόσαι ..... ἑπομένως δὲ τούτοις καὶ τὴν ψυχὴν ἀποδιδόασιν* [1]). Hanc autem regulam in Diogene adhibuisse isti videntur; quem quum omnium animantium animam aërem calidiorem viderent ponentem, haud cunctanter eandem principii naturam esse concluserunt. Nec mirum est, illos sequi maluisse summi Aristotelis regulam, quam ipsius Diogenis verba, quibus clare aërem, qui vulgo habetur, rerum initium esse diceret, praesertim quum non ab omni parte utraque ratio sibi contraria videretur, quumque invenissent, quod dudum quaesiverant, *τὸ μεταξύ.* Cavendum enim erat, aëris calorem ne qualitatis tantum loco haberent: quo posito nihil nisi merus aër principio relictus foret, si quidem qualitates in definitionem principii, qua tenus est principium, Aristoteles cadere negabat; sed pari honore principium complecti oportebat et calidam et aëream naturam, summa necessitudine alteram cum altera coniunctam: in qua quidem coniunctione clare expressum vides Aristotelis *τὸ μεταξὺ πυρὸς καὶ ἀέρος.* Attamen nimium istos Aristotelis regulae tribuisse apparet. Solum enim id recte ex ea colligere po-

2) Ad haec *Simpl.* p. 7 b. *ἐπειδὴ τῶν ἀρχῶν συμπληροῦσι τὴν ψυχὴν οἱ περὶ αὐτῆς, ὡς αὐτὸς ἱστορεῖ, φιλοσοφήσαντες, ὁποίας ἂν καὶ ὁπόσας ἕκαστος ὑπετίθετο ἀρχάς, ἐκ τοιούτων καὶ τοσούτων καὶ τὴν ψυχὴν συνέστησαν, σωματικὰς μὲν οἱ φυσιόλογοι θέμενοι, ἀσωμάτους δὲ οἱ Πυθαγόρειοι καὶ Πλάτων· μίξαντες δὲ ἀπ' ἀμφοῖν Ἐμπεδοκλῆς τε καὶ Ἀναξαγόρας. ἑπομένως δὲ τούτοις καὶ τὰς ψυχὰς ἀποδιδόασιν, ἕκαστος τὴν παρ' αὑτοῦ ἀρχὴν εἰς τὴν ψυχὴν φέρων ἢ τὰς ἀρχάς, οὐχ ὡς γνωστικὴν μόνον τῶν ὄντων, ἀλλὰ καὶ ὡς κινητικήν. οὐκ ἀλόγως γάρ φησιν αὐτοὺς τῶν πρώτων ὑπειληφέναι τὸ κινητικὸν αἴτιον. ἐπειδὴ αἰτιατὸν μὲν πάντως τὸ κινούμενον. τὸ δὲ κατ' ἑαυτὸ κινοῦν καὶ μὴ τῷ ἑτέρωθεν κινεῖσθαι τῆς αἰτιώδους φύσεως. οἱ δὲ πῦρ τὴν ἀρχὴν ὑποθέμενοι καὶ ὡς τὸ λεπτομερέστατον σῶμα τῇ ψυχῇ ἀπονέμοντες, οἰκειότερόν τι αὐτῇ προσάπτουσιν, τῶν ἄλλο τι αὐτὴν οἰομένων σῶμα* cet.

ferant, Diogenem, quum animam aërea natura esse statueret, rerum initium posuisse in aëre, neque vero in aëre calido. Omnino vero hanc sententiam, qua Diogenem iam primo aëri, e quo omnia orirentur, calorem inesse dicant statuisse, falsam esse, ex his potissimum elucet. Nam calida natura in earum qualitatum numero est, quas inter se contrarias et oppositas Diogenes aëri adscribit fragm. VI. Hae vero qualitates, quibus omnes fere physiologi in rebus e principio generandis utuntur, habeant necesse est, quod ipsis subiectum sit omnibus et *in quo* oriantur, ut illud idem, quod his subiectum sit, i. e. aër, pro principio habendum sit, minime vero calor, qui eodem modo, ac reliquae qualitates, *in aëre* demum exsistit. Sed fac, calidiorem aërem esse principium, necessario is e Diogenis doctrina appositum habebat aërem frigidiorem, ut non unum, sed duo rerum principia, eaque inter se opposita, posuisset, incredibili aliqua inconstantia. Accedit, quod a *Stobaeo* et *Ioanne Philopono*[1]) clare dictum est, animum Diogeni visum esse *ex aëre ortum*, quod, si aër iam per se calidus fuisset, fieri profecto non potuisset. Quibus disputatis effectum esse arbitror, revera Diogenem in aëre posuisse principium, quo omnia constent, quodque ipsum sit per se, nulla alia re admixta: ex uno enim eodemque omnia exorta. Simul vero etiam satis probabilis causa inventa est erroris eorum, qui mediam istam naturam in Diogenis philosophiam inferrent.

Cap. 42. *Fragm. VI.* *Καί μοι δοκέει τὸ τὴν νόησιν ἔχον εἶναι ὁ ἀὴρ καλεόμενος ὑπὸ τῶν*

Invenitur hic loc. ap. *Simpl.* p. 33 a. qui absoluto fr. IV ita pergit: *εἶτα μετ' ὀλίγον σαφῶς ἐπήγαγε.*

καί μοι δοκέει — ἀνθρώπων] Ac videtur mihi *id, quod νόησιν continet, cui νόησις natura sua inest, esse, qui vulgo aër vocatur,* neque vero is aër, qui, quum omnia aëre constent, iam immutatus et transformatus est. E. gr. in homine *νόησις* neque in carne posita est, neque in ossibus, neque in cerebro, neque in sanguine ipso, quamvis haec omnia aëre nata et aër quodam modo etiam nunc sint; sed inest humano corpori venarum ope aër *νόησιν* continens, integer et non mutatus. Hinc dicit *ὁ καλεόμενος ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων.* Simpl. habet *δοκεῖ* et *καλούμενος.*

---

1) *Stob.* I. c. 62. p. 796. *Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης ἐξ ἀέρος ψυχήν.* *Ioann. Philop.* d. Anim. c. 7. Vid. cap. 39.

ἀνθρώπων, καὶ ὑπὸ τούτου πάντα καὶ κυβερνᾶσθαι καὶ πάντων κρατέειν. αὐτοῦ γάρ μοι

καὶ ὑπὸ τούτου πάντα κυβ. — — κρατεῖν] Recepi in his, quod Schleiermacherum posuisse videbam in versione huius loci, πάντα pr. πάντας, quod Simpl. habet errore aperto. ὑπὸ τούτου i. e. ab hoc aëre, ratione praedito. κυβερνᾶσθαι, gubernari, in ordinem cogi et contineri, ab initio et etiam nunc, quovis tempore. *Aristot.* phys. 3, 4. καὶ (τὸ ἄπειρον) περιέχειν ἅπαντα, καὶ πάντα κυβερνᾶν, ὥς φασιν ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον ἄλλας αἰτίας, οἷον νοῦν ἢ φιλίαν. καὶ τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον. ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥσπερ φησὶν ὁ Ἀναξίμανδρος καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν φυσιολόγων. Quocum conferri debet, quod paullo superius dicit: οἱ δὲ περὶ φύσεως ἅπαντες ἀεὶ ὑποτιθέασιν ἑτέραν τινὰ φύσιν τῷ ἀπείρῳ τῶν λεγομένων στοιχείων, οἷον ὕδωρ, ἢ ἀέρα, ἢ τὸ μεταξὺ τούτων. *Simpl.* p. 107 b. εἰ δὲ καὶ περιέχειν ἔλεγον (physici) καὶ κυβερνᾶν, οὐδὲν θαυμαστόν. τὸ μὲν γὰρ περιέχειν ὑπάρχει τῷ ὑλικῷ αἰτίῳ, ὡς διὰ πάντων χωροῦντι· τὸ δὲ κυβερνᾶν, ὡς κατὰ τὴν ἐπιτηδειότητα αὐτοῦ τῶν ἀπ' αὐτοῦ γινομένων.

καὶ πάντων κρατεῖν] sc. οὗτος. Isque omnium imperium tenere videtur, quippe omnia movens nutuque suo regens. *Anax.* fr. 8. Ut rem fortius dicat, eandem ab utraque fere parte illustrat, et quid ab aëre patiantur res exponens, et quid ipse aër faciat.

αὐτοῦ γάρ μοι τούτου δοκέει ἔθος εἶναι] Simpl. ἀπὸ pr. αὐτοῦ, et δοκεῖ. Hic locus difficillimus haud dubie corruptus est. Ita etiam *Schleierm.* censet p. 82. „Das folgende aber wage ich nicht zu übersetzen, da es eine Corruption enthält, die ich nicht zu heilen weiss.“ Suspicatur vir acutissimus, vitium latere sive in solo ἔθος, sive in ἔθος εἶναι, quae quidem verba commode explicari nequeant, et substituendum aliquid censet, quo νόησις significetur. Sed vereor, ut rectum h. l. viderit vir eximius. Qui enim, quaeso, dicere poterat Diogenes: ab aëre νοήσει praedito omnibus supervenisse videri νόησιν, quae tamen ex eius mente ab aëre avulsa ne cogitari quidem potest. Imo dicendum ei fuisse censeo: ὑπὸ vel potius σὺν pro ἀπό. *Ritterus* contra nullas huius loci difficultates agnoscit. Vid. eius not. 16. „Schleiermacher findet bei dieser Stelle Bedenken, welche mir aber nicht schwierig zu heben scheinen; ἔθος darf nicht auf etwas Sittliches bezogen werden; es soll nichts, als die Handlungsweise der Luft im physischen Sinne bezeichnen; τούτου muss man sächlich nehmen und auf die beschriebene Wirkungsart der Luft beziehn; der Infinitiv nach ἔθος könnte anstössig scheinen, doch steht er auch Herodot. 1, 82 ähnlich nach νόμος.“ Locum ita vertit: Denn mir scheint von der Luft alles gelenkt zu werden und sie über alles zu herrschen; woher ihr der Brauch stammt, zu iedem zu kommen und alles zu ordnen und in allem zu sein; so dass auch nicht Eins ist, welches an ihr nicht Theil hätte. Haec omnia tamen, re accuratius perpensa, non sufficere ad omnes difficultates solvendas, apparet. Nam primo quidem quod Ritterus vertit: scheint *ihr* der Brauch zu sein, non item Diogenes addit pronomen, et quis est, qui ἔθος sic nude positum pro ἔθος αὐτοῦ seu αὐτῷ εἶναι ferri posse hoc quidem sensu contendat? Deinde particula γὰρ satis arguit, Diogenem rationem addere voluisse, cur statuat ab aëre omnia gubernari eumque omnibus imperare: quae res has Ritteri versione plane turbatur. Idque etiam sensisse videtur vir praeclarus, quum minus accurate vertat: *woher ihr* cet. Sed vertere oportebat: *denn daher*, quod tamen vix aptam sententiam praeberet. Mihi denique vox ἔθος sana videtur, et, in quo omnes consentiunt, physico

τούτου δοκέει ἔθος εἶναι, καὶ ἐπὶ πᾶν ἀφῖχθαι καὶ πάντα διατιθέναι καὶ ἐν παντὶ ἐνεῖναι. καὶ ἐστὶ μηδὲ ἓν ὅ, τι μὴ μετέχει τούτου. μετέχει δὲ οὐδὲ ἓν ὁμοίως τὸ ἕτερον τῷ

sensu accipienda. Cf. *Schleierm.* not. 1. p. 82. Allein von ἔθος in irgend einem sittlichen Sinne kann hier schwerlich die Rede sein, da die alten Physiologen auf das Sittliche überhaupt so gut als gar keine Rücksicht nehmen, da diese unmittelbare Ableitung der Sitte aus der Luft rein aus der Luft gegriffen wäre. Quare corruptio vix alibi latere poterit, quam in voce ἀπό, in qua quam pronum erat librariis, vel etiam typothetis errare, quivis videt. Unde leviter eam inflectens scribo αὐτοῦ cf. fr. 5. καὶ αὐτὸ μὲν τοῦτο cet. **αὐτοῦ τούτου**, aëris, quem vulgo dicunt. **ἔθος** est *consuetudo*, *mos*, solita alicuius agendi ratio, etiam si ipse non sentiat, cur ita agat. *Arist.* Metaph. I, 1. οἱ δὲ, ὥσπερ καὶ τῶν ἀψύχων ἔνια ποιεῖ μὲν, οὐκ εἰδότα δὲ ποιεῖ, οἷον καίει τὸ πῦρ. τὰ μὲν οὖν ἄψυχα φύσει τινὶ ποιεῖν τούτων ἕκαστον, τοὺς δὲ χειροτέχνας δι' ἔθος. Hinc translate de rebus naturalibus est *ea ratio*, *qua res aliqua agit*, *vimque suam et efficaciam exserere solet; indoles seu natura rei.* Sens. ig. est: αὐτὸ γάρ μοι τοῦτο δοκεῖ **πεφυκέναι**. cf. c. 56. πάντα τὰ ἐλατά φησιν καὶ ἀφιέναι τινα ἰκμάδα ἀφ' αὐτῶν πεφυκέναι καὶ ἕλκειν. Batrach. 32 ss. πῶς δὲ φίλον ποιῇ με, τὸν ἐς φύσιν οὐδὲν ὁμοῖον; σοὶ μὲν γὰρ βίος ἐστὶν ἐν ὕδασιν, αὐτὰρ ἔμοιγε, ὅσσα παρ' ἀνθρώποις, τρώγειν **ἔθος**.

καὶ ἐπὶ πᾶν ἀφῖχθαι] *ad omnia penetrasse*, *ubicunque patere*.

καὶ πάντα διατιθέναι] et omnia disponere, constituere, quoniam, uti dictum est, ubicunque patet, omnia amplectitur et circumscribit. Ceterum quod Diogenes dicere solet διατιθέναι, idem dicit Anax. semper et ubique διακοσμεῖν. Cf. fr. 8. 17. *Schaub.* p. 111.

καὶ ἐν παντὶ ἐνεῖναι] Omnibus enim e Diogenis sententia particulae aëris insunt, e. g. homini, aquae, terrae, ipsis lapidibus et metallis, cet. — His omnibus autem Diog. rationem reddit, cur aërem νοήσεως sedem dicat, quoniam is omnium rerum latissime in rerum natura patet atque ita ubicunque νοήσεως imperio viam aperit. *Aëri igitur anima et ratione praedito consuetudinem esse ait*, *atque huic prae reliquis omnibus a natura datum videri*, *ut per omnia pateat*, *omnia disponat*, *omnibus insit.* Ut enim facile Diogenes ex aëris et νοήσεως in eo contentae vi singularum rerum causas explicare potuit: ita tamen, si quaeras, undenam aëri et menti hae vires exstiterint, huius quidem rei rationem reddere non potuisse videtur. Quare dixit, hoc esse aëris ἔθος, naturalem consuetudinem ei insitam, et a fato haud dubie ei concessam.

καὶ ἐστὶ μηδὲ ἕν, ὅ, τι μὴ μετέχει τούτου] et *ne ulla quidem res est*, *quae non particeps sit huius*, i. e. τοῦ ἀέρος καλουμένου ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, ut in iis, quae proximo sequuntur, ipse explicat. Nam uti dictum est, omnibus rebus inest aëris maior minorve particula.

μετέχει δὲ οὐδὲ ἓν — τῷ ἑτέρῳ] Sequitur novus sententiarum ordo. Nam quum quodcunque unius eiusdemque aëris et νοήσεως particeps esse modo posuisset, iam explicandum ei erat, qui fieret, ut tanta et hominum et animalium inter se varietas et saepe diversitas exsisteret. Quod ut efficiat, agit de aëris natura maxime et in diversissimas formas mutabili. Nam quum νόησις non per se esse possit, sed, quod praecipue tenendum, aëri semper adhaereat, easdem eam, quas aërem ipsum, mutationes subire, patet.

ὁμοίως] *pari*, *eodem modo*, *Plat.* Parm. p. 130 e. §. 27. *Heind.*

ἑτέρῳ· ἀλλὰ πολλοὶ τρόποι καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀέρος καὶ τῆς νοήσιος εἰσίν. ἔστι γὰρ πολύτροπος καὶ θερμότερος καὶ ψυχρότερος καὶ ξηρότερος καὶ ὑγρότερος καὶ στασιμώτερος καὶ ὀξυτέρην κίνησιν ἔχων, καὶ ἄλλαι πολλαὶ ἑτε-

ἀλλὰ πολλοὶ τρόποι — καὶ τῆς νοήσιος εἰσίν] *τρόπος* est modus, quo quid immutatum est. Idem, quod *ἑτεροίωσις*. cf. infr. *ἄλλαι πολλαὶ ἑτεροιώσιες*. *Arist.* phys. 1,8. *τὰ δὲ ἀλλοιώσει, οἷον τὰ τρεπόμενα κατὰ τὴν ὕλην.* *Multis modis* dicit *aërem* et *νόησιν immutari*.

αὐτοῦ τοῦ ἀέρος] i. e. aëris per se spectati, nulla *νοήσεως* ratione habita.

ἔστι γὰρ πολύτροπος] de voc. *πολύτρ.* vid. *Wolf.* Anal. I. 3. p. 144. h. l. est: *vario modo mutabilis*, *εὐαλλοίωτος*. cf. fr. 2. *καὶ μὴ τὸ αὐτὸ ἐὸν μετέπιπτε πολλαχῶς καὶ ἠτεροιοῦτο.* Iam ipse explicat, quid sibi velit.

καὶ θερμότερος — ἔχων] *στασιμώτερος*, stabilior, tardior. *ὀξυτέρην κίνησιν ἔχων*, incitatiori motu, mobilior. Sed de harum qualitatum natura accuratius infr. c. 59. s. agetur.

καὶ ἄλλαι πολλαὶ — καὶ ἡδονῆς καὶ χροιῆς ἄπειροι] *ἔνεισι*, in ea deprehenduntur. Difficultas posita est in voce *ἡδονή*, cuius vis h. l. non satis clara. Quamcunque enim *voluptatis* significationem ab hoc loco alienam esse, manifestum. Eodem nexu reperitur haec vox apud *Anax.* fr. 3. *τουτέων δὲ οὕτως ἐχόντων* (i. e. rebus ita inter se mixtis, ut *ἐν πάντι πᾶν* sit) *χρὴ δοκέειν ἐνεῖναι πολλά τε καὶ παντοῖα ἐν πᾶσι τοῖς συγκρινομένοις, καὶ σπέρματα πάντων χρημάτων, καὶ ἰδέας παντοίας ἔχοντα καὶ χροιὰς καὶ ἡδονάς.* Ad h. l. *Schaubach:* „*ἡδονὴ* ex Anaxagorae usu loquendi i. q. *affectio*, ea ratio alicuius rei, qua ipsam sensibus nostris percipimus, qua tactus inprimis afficitur.“ *Ritter* p. 50. vertit hunc locum: unendliche, sowohl des *Verhaltens* als der Farbe. Quanquam ipse huic interpretationi suae diffidere videtur in nota ad h. l. Sed habet haec explicatio, quo se tueatur, *Arist.* in phys. 1, 5, qui ad Anaxagorae locum supra adscriptum respicere videtur: *τὸ δὲ μηδέποτε διακριθήσεσθαι, οὐκ εἰδότως μὲν λέγεται, ὀρθῶς δὲ λέγεται· τὰ γὰρ πάθη ἀχώριστα· εἰ οὖν μέμικται τὰ χρώματα καὶ αἱ ἕξεις, ἐὰν διακριθῶσιν, ἔσται τι λευκὸν ἢ ὑγιεινόν, οὐχ ἕτερόν τι ὄν, οὐδὲ καθ' ὑποκειμένου.* Attamen Aristoteles h. l. voce *ἕξεις* multa etiam alia comprehendisse videtur, ut inde vix accuratioris quid de *ἡδονῆς* significatione eruere possis. Tum vero hic ipse, de quo agimus, Diogenis locus, contra hanc rationem pugnare videtur. Nonne enim quas antea enumeraverat aëris *ἐναντιώσεις*, *θερμότητα*, *ψυχρότητα*, *ξηρότητα*, *ὑγρασίαν*, nonne, inquam, hae omnes etiam rationes sunt, quibus res sensibus nostris percipimus, quibusque tactus inprimis afficitur, ut omittam, quod id ipsum, quod de tactu addit Schaubachus, paulo longius petitum videatur? Idem vero dicendum de *Schleiermachero*, qui interpretatur: *Gefühl.* Nec *Ritteri* ratio locum suum obtinebit. Nam calorem, frigus, reliqua, adde etiam colorem, quis est, quin haec omnia ad rei habitum (Verhalten) pertinere videat? Et, quum ita res se habeat, qui poterat Diogenes sic loqui, uti locutus est, *καὶ ἄλλαι πολλαὶ ἑτεροιώσιες καὶ ἡδονῆς καὶ χροιῆς ἄπειροι?* Nec magis probare possum, quod Gesch. d. Phil. I. p. 224. haec verba interpretatur: unendliche Verschiedenheiten des *inneren Muths* und der äusseren Darstellung. — Re accurate perpensa primo quidem clarum est, *ἡδονὴ* aeque ac color et reliqua

ροιώσιες ἔνεισι καὶ ἡδονῆς καὶ χροιῆς ἄπειροι. καὶ πάντων τῶν ζώων δὴ ἡ ψυχὴ τὸ αὐτό ἐστιν, ἀὴρ θερμότερος μὲν τοῦ ἔξω, ἐν ᾧ ἐσμέν, τοῦ μέντοι παρὰ τῷ ἠελίῳ πολλὸν ψυχρότε-

in rebus ipsis insit, necesse esse, non, ut ex vulgari usu, in hominum sensu. Deinde in memoriam revocandum, ἡδύ, quod inter omnes constat, significare primo loco: *dulce*; unde ἡδύνω, ἥδω, dulcem reddere, saporem praebere e. gr. de sale. *Arist.* Meteor. 2, 3; ἥδυσμα condimentum, ἡδονή, acetum, ὄξος. Sic propria et genuina ἡδονῆς significatio est: *dulcedo*, *dulcis rei sapor*. Tum omnia haec verba translate usurpata sunt de quavis re suavi et grata. ἡδονὴ tamen in physicis libris ubique fere de grato tantum *sapore atque odore* dicta invenitur, quod etiam quam maxime cum illa dulcedinis significatione convenit. Gustus enim cum olfactu e veterum sententia arctissime coniunctus est. *Arist.* d. Anim. 2, 9. ἔοικε γὰρ ἀνάλογον ἔχειν πρὸς τὴν γεῦσιν καὶ ὁμοίως τὰ εἴδη τῶν χυμῶν τοῖς τῆς ὀσμῆς; et multis aliis locis. De re ipsa, quam dixi, cf. *Arist.* d. part. anim. 2, 17. p. 511. ed. Du Vall. (loquitur de serpentum lingua bifida) δικρόαν δὲ καὶ τὸ ἄκρον λεπτὸν καὶ τριχῶδες διὰ τὸ λίχνον τῆς φύσεως. διπλῆν γὰρ τὴν ἡδονὴν κτᾶται τῶν χυμῶν, ὥσπερ διπλῆν τὴν τῆς γεύσεως αἴσθησιν. ibid. ἐπιθυμίαν δ' ἔχει τὰ ζῶα τροφῆς πάντα, ὡς ἔχοντα αἴσθησιν τῆς ἡδονῆς τῆς γενομένης ἐκ τῆς τροφῆς. ἡ γὰρ ἐπιθυμία τοῦ ἡδέος. ib. 4, 5. p. 544. ἔχουσι δὲ τὰ μαλάκια . . . . . ἀντὶ γλώττης σαρκῶδές τι, ᾧ κρίνουσι τὴν ἐν τοῖς ἐδεστοῖς ἡδονὴν . . . πρὸς τὴν τᾶς τροφῆς αἴσθησιν. ib. 4, 11. p. 566. ἀλλ' ἐν τῇ καταπόσει γίγνεσθαι τὴν αἴσθησιν καὶ τὴν ἡδονὴν πᾶσι τούτοις τῆς τροφῆς . . . . τῶν δὲ ἐδεστῶν ἐν τῇ καθόδῳ ἡδονή. *Id.* d. sens. et sensib. c. 1. τὸ γὰρ ἡδὺ διακρίνει αὕτη (ἡ γεῦσις) καὶ τὸ λυπηρὸν περὶ τὴν τροφήν, ὥστε τὸ μὲν φεύγειν, τὸ δὲ διωκεῖν. ib. c. 5. *Apollod.* 3, 14, 7. Ἰκάριος . . . . . ἀφικνεῖται πρός τινας ποιμένας, οἳ γευσάμενοι τοῦ ποτοῦ, καὶ χωρὶς ὕδατος δι' ἡδονὴν ἀφειδῶς ἑλκύσαντες. cf. *Hom.* Il. 1, 576. οὐδέ τι δαιτὸς ἐσθλῆς ἔσσεται ἦδος, ἐπεὶ τὰ χερείονα νικᾷ. — Unde apud Diogenem quoque ἡδονὴν accipio *de aëris sapore* (Wohlgeschmack), qui, quum infinita eius genera sint, aliis in rebus minus gratus est, in aliis magis. Atque haec significatio optime convenit cum reliquis qualitatibus, quas hic nominatim affert, et maxime τῇ χροιῇ cognata est. Mirifice postremo confirmatur haec explicatio Arist. Metaph. I, 7. ὅτε γὰρ οὐδὲν ἦν ἀποκεκριμένον, δῆλον ὡς οὐδὲν ἦν ἀληθὲς εἰπεῖν κατὰ τῆς οὐσίας ἐκείνης. λέγω δ' ὅτι οὔτε λευκὸν οὔτε μέλαν, ἢ φαιὸν ἢ ἄλλο χρῶμα, ἀλλὰ ἀχρώματον ἦν ἐξ ἀνάγκης. εἶχε γὰρ ἄν τι τούτων τῶν χρωμάτων. ὁμοίως δὲ καὶ ἄχυμον τῷ αὐτῷ λόγῳ τούτῳ, οὐδὲ ἄλλο τῶν ὁμοίων οὐδέν. coll. *Anax.* fr. 3, ad quod aperte h. l. respicit Aristoteles. Dicit igitur Diogenes, *multas insuper alias in aëre deprehendi mutationes*, *infinitasque saporis et coloris.*

καὶ πάντων ζώων δὴ — ψυχρότερος] Simpl. habet δὲ pr. δή, quod cum Schleiermachero praetuli. δὲ enim Simplicianum usum nimium sapit. Venit in his ad alteram aëris partem, νόησιν, huiusque etiam πολυτροπίαν ostendit. *Omnium etiam*, inquit, *animantium animus idem est*, *aër*, *calidior eo*, *in quo sumus*; τοῦ ἔξω, qui nos circumdat; is enim, qui venis continetur, calidior est et animalis.

τοῦ μέντοι παρὰ τῷ ἠελίῳ — ψυχρότερος] *sed multo minus calidus eo*, *qui circa solem est.* De re ipsa infra dicendum. Simpl. ἡλίῳ. Sed restitui antiquiorem for-

ρος. ὅμοιον δὲ τοῦτο τὸ θερμὸν οὐδενὸς τῶν ζώων ἐστίν, ἐπεὶ οὐδὲ τῶν ἀνθρώπων ἀλλήλοις· ἀλλὰ διαφέρει μέγα μὲν οὔ, ἀλλ' ὥστε παραπλήσια εἶναι, οὐ μέντοι ἀτρεκέως γε ὅμοιον ἐόν. οὐδὲν δ' οἱόντε γενέσθαι τῶν ἑτεροιουμένων ἕτερον ἑτέρου, πρὶν τὸ αὐτὸ

mam, quam Anax. fr. 4. integram servavit.

ὅμοιον δὲ τοῦτο τὸ θερμὸν — ἐστιν] supple: τῷ θερμῷ τῶν ἑτέρων ζώων. τοῦτο τὸ θερμόν, i. e. αὕτη ἡ θερμότης τοῦ ἀέρος τοῦ ἐν τοῖς ζώοις ὄντος.

ἐπεὶ οὐδὲ τῶν ἀνθρώπων ἀλλήλοις] *quum ne hominum quidem inter se hic calor animalis par sit et idem.* Non mirum esse dicit, in animalibus, quorum tot genera et tantopere inter se discrepantia sint, maximam varietatem esse ingeniorum, quum ne in hominibus quidem, qui eiusdem sint generis, eadem indolis ratio inveniatur.

ἀλλὰ διαφέρει μέγα μὲν οὔ, ἀλλ' — εἶναι] Sed differt inter se hic animalium calor, haud quidem multum, sed ut similia sint inter se animalia. Rem ita cogita: Animus non solum pro variis animantium generibus, sed in singulis etiam animalibus eiusdem generis diversus est, in aliis minus calidus, in aliis magis. Equi v. c. calidior anima est, quam piscis; sed singulorum etiam equorum satis inter se diversa sunt ingenia, ut in quovis eorum diversum iterum caloris gradum agnoscas. Idem de reliquis animalibus dicendum. Sed manet tamen et generis certum aliquod ingenium, manetque, quae omnibus inest, animi vis et natura eadem in omnibus.

οὐ μέντοι ἀτρεκέως γε ὅμοιον ἐόν] ἀτρεκέως vocab. esse Ionicis proprium pro ἀληθινῶς, ὄντως, notum est. *Herod.* I, 57. 140. 159. 160. 172. 209. II, 49. 54. 103. III, 130. VIII, 8. Simpl. praebet in his ἀτρεκέως γε ὅμοιόν γε ὄν, quod correxi. Nam ubi γε bis ponitur, diversae notiones sunt, quibus accedit. Cf. *Heind.* ad Euthyd. §. 15. *Anax.* fr. 5. οὔτε γὰρ τοῦ σμικροῦ γέ ἐστι τόγε ἐλάχιστον, ἀλλ' ἔλασσον ἀεί. *Eur.* Ion. 1634. *Arist.* phys. 2, 4. καίτοι γε, εἰ οὕτως ἔχει, τοῦτό γε αὐτὸ ἄξιον ἐπιστάσεως. *Plat.* Phaedr. p. 241 d. καίτοι γε, ᾤμην γε, μεσοῦν αὐτόν. Minime vero in notionibus tam arcte inter se et sententia et loco coniunctis, γε iterari potest. Quare delevi posterius γε, natum haud dubie ex Ionica forma ἐόν. Solet enim in talibus adverbio, quippe in quo vis sententiae coniunctae posita sit, adhaerere. Cf. *Plat.* Charmid. p. 163 b. (p. 320. Bek.) οὐ γάρ που οὕτω γε ἦν εὐήθης.

οὐδὲν δ' οἱόντε γενέσθαι — τὸ αὐτὸ γένηται] nulla variarum rerum omnium (τῶν ἑτεροιουμένων) ab altera diversa facta esse potest, prius quam idem fuerit. Haec eadem sententia est, ac quae fr. 2. exponebatur. Pro eo, quod Simpl. habet ἕτερον ἑτέρῳ scripsi ἑτέρου. Hoc enim legitimum. *Plat.* Parmen. p. 139 b. ἕτερον ἑαυτοῦ, ἑνός, ἑτέρου cet. Quod vero attinet ad nexum huius sententiae cum iis, quae et antecesserunt, et proxime sequuntur, miratur *Schleiermacherus*, qui acciderit, ut in hunc locum ea devenerit, statuendumque ei videtur, generalem hanc naturae quasi legem, quam supra iam proposuisset, eandem nunc, aëre principio posito, denuo iam proferri, eamque non tam ad ea, quae proxime antecedant, referendam esse, quam universae huic argumentorum seriei imponere finem, eamque absolvere. Quae quidem repetitio tanto magis necessaria ei videtur, quum Diogenes iam in eo sit, ut animalium causa magis ad singula exponenda descendat. Idque eum

γένηται. ἅτε οὖν πολυτρόπου ἐνεούσης τῆς ἑτεροιώσιος πολύτροπα καὶ τὰ ζῶα καὶ πολλά, καὶ οὔτε ἰδέην ἀλλήλοις ἐοικότα οὔτε δίαιταν οὔτε νόησιν ὑπὸ τοῦ πλήθεος τῶν ἑτεροιώσεων. ὅμως δὲ πάντα τῷ αὐτῷ καὶ ζῇ καὶ ὁρᾷ καὶ ἀκούει καὶ τὴν ἄλλην νόησιν ἔχει ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ πάντα.

facere, ultima verba sic oratione excipiens: ἅτε οὖν cet. At mihi quidem particula οὖν clare arguere videtur, in iis, quae sequuntur, contineri ea, quae ex his colligi vult Diogenes. Quare sententiarum nexum constituo hunc: Omnium animalium, inquit, animus aër est calidus; sed vel sic in iis magna dissimilitudo et varietas deprehenditur. Atque hoc est primum, quod ponit. Iam ponit alterum, ex superioribus repetitum: fieri autem non potuit, ut variae res essent, nisi idem prius fuissent. Hinc denique concludit: Ergo omnis etiam animalium varietas non in eorum prima origine et in rerum principio posita est, sed in eo, quod rerum omnium commune initium multas subiit immutationes.

ἅτε οὖν πολυτρόπου ἐνεούσης τῆς ἑτεροιώσιος — ὑπὸ τοῦ πλήθεος τῶν ἑτεροιώσεων] *Quatenus ergo immutatio in eo sc. aëre multiplex est, varia etiam animalia et multa sunt*, et genere et numero, nec figura inter se similia, nec victu, nec νοήσει, propter multitudinem immutationum, quas aër in eoque νόησις subierunt. ἰδέην Simpl. ἰδέαν. Est externa h. l. animalium figura. cf. *Schaub.* ad Anax. p. 86. Quamvis autem in his de νοήσει potissimum agat, hanc tamen verbo tangere potuit, quia νόησιν nunquam ab aëre separatam cogitat. — Pro πλήθεος *Simpl.* habet πλήθους.

ὅμως δὲ πάντα τῷ αὐτῷ — ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ πάντα] Attamen in omni earum varietate et vivendi et sentiendi facultas in uno eodemque iis posita est.

τῷ αὐτῷ] sc. aëre. καὶ ζῇ] Hanc formam intactam reliqui, quamvis fr. 4 dicat ζώει. Poterat enim utraque uti promiscae. *Aëre vivunt*, *vitam habent*, tum in prima eorum generatione (V. fr. 7), tum respiratione eam servantes.

καὶ ὁρᾷ] Visum quomodo Diog. explicaverit, nescimus. Hoc vero clarum est, eum ad oculos etiam aërem venarum ope penetrare statuisse.

καὶ ἀκούει] Qua ratione hoc factum sit e Diogenis mente, mox explicabitur cap. 51.

καὶ τὴν ἄλλην νόησιν ἔχει] et reliquam sentiendi cogitandique vim et facultatem habent. Quod vero dicit ἄλλην, id ea etiam, quae antea percensuerat, νοήσεως finibus eum complecti, dilucide ostendit.

Cap. 43. Quum maximi in historia philosophiae momenti sit, intelligere, quomodo et quando in mentis primum agnitionem, tum vero accuratiorem cognitionem pervenerint philosophi; ex paucis autem, quae de hac re servata sunt, fragmentis clare appareat, quanti mentis

vim et efficaciam fecerit in doctrina sua Diogenes: profecto operae pretium esse videtur, diligentius etiam animo contemplari ea, quae ad hunc usque locum de mentis natura prolata sunt, in eamque potissimum inquirere rationem, quae inter huius philosophiam et reliquorum philosophorum decreta intercedat. Anaxagoram enim, ut ab hoc exeamus, primum mentis singularem naturam ac vim, a materia seiunctam et avulsam, in philosophiam introduxisse, res vulgo nota est. Diogenem vero contra haec omnia mentis vim aëre contineri affirmantem vidimus fr. VI. Quod ne quis opinetur eodem modo dictum esse, quo Anaxagoras etiam animantibus *νοῦν* inesse dicit, ita, ut, licet cum horum natura sit coniunctus, haud quaquam tamen cum ea mixtus aut concretus statui debeat; liquidis verbis Diogenes animantium animam aërem calidiorem esse asseverat. Manifesto igitur animalem et rationalem vim in calore aëris collocatam esse existimavit, quocum omnia etiam alia, quae de eius philosophia tradita sunt, conspirare videntur. Ut vero calor ipse per se nusquam est, sed semper alii cuidam naturae adhaerens aut immixtus deprehenditur, propterea quod in earum rerum genere est, quas uno nomine qualitates vocare consuevimus: ita etiam *νόησιν* necessaria aliqua coniunctione cum altera quadam natura teneri, consentaneum est. Atque hanc quidem naturam Diogenem aërem esse ponit, cuius ex mutabili habitu multiplicem *νοήσεως* varietatem derivare studet. Ex his vero breviter expositis clarum est, quantopere in hac re differant Anaxagoras et Diogenes, ut ex ipso vocabulo, quod uterque mentem appellabat, hoc discrimen eluceat. Anaxagoras enim mentem suam vix *νόησιν* appellare potuit, quando quidem haec per se cogitari nequit; nec Diogenes *νόησιν* suam *νοῦν*, si quidem proprie loqui volebat. *Νοῦς* enim est *οὐσία*, quae per se cogitatur et *νόησιν* continet; quanquam *νοῦς* etiam de vi rationali dicitur, quo sensu Diogenes quoque hac voce uti potuisset, nisi aptiorem reique magis convenientem vocem praetulisset. Quod si iam quae utrique de mente

placuerunt, inter se comparare volumus, dubitare possis, utri palmam deferas. Ut enim Anaxagoras ipsam mentis naturam melius haud dubie perspectam habebat, quum ab omni corporea concretione liberaret: ita tamen longe superatur a Diogene eo, quod hic singularem mentis vim, qua ubique regnat, per singula rerum genera commonstrare conabatur: de qua re ille ne somniasse quidem videtur. Ad reliquos autem quod attinet physiologos, multo melius Diogenem plerisque eorum utraque animi parte tam vegeta illa et movente, quam rationali in philosophia sua usum esse, et ipsius fragmenta docent, et veterum de eo testimonia. Fragmento enim VI clarissime dicit, omnia animantia aëre *vivere*, et de altera animi vi tot sunt, quae loquuntur, ut singula afferre supersedeam. Tum *Aristoteles* (d. anima 1, 2) habet haec: *Διογένης δέ, ὥσπερ καὶ ἕτεροί τινες, ἀέρα τοῦτον οἰηθεὶς πάντων λεπτομερέστατον εἶναι καὶ ἀρχήν*, (sc. *ἔοικε ὑπολαμβάνειν*) *καὶ διὰ τοῦτο γιγνώσκειν τε καὶ κινεῖν τὴν ψυχήν· ᾗ μὲν πρῶτόν ἐστι καὶ ἐκ τούτου τὰ λοιπά, γιγνώσκειν· ᾗ δὲ λεπτομερέστατον, κινητικὸν εἶναι.* h. e. Diogenes aërem subtilissimum et principium putans, hinc et ipsum animum intelligentem et moventem esse, statuere videtur; quatenus enim primum sit ex eoque reliqua, eorum habere notitiam — est enim eiusdem generis atque illa —; quatenus vero subtilissimum, esse moventem [1]). Quod in his movere dicitur

---

1) Ad haec *Simpl.* p. 7 b. *σαφῆ δὲ τὰ περὶ Διογένους ἱστορημένα.* *Themist.* p. 67. *οὕτως δὲ καὶ Ἀναξιμένης καὶ Διογένης καὶ ὅσοι ἀέρα λέγουσι τὴν ψυχήν, ἀμφότερα πειρῶνται διασώζειν, καὶ τὸ κινεῖν διὰ τὴν λεπτομέρειαν καὶ τὸ γινώσκειν, διὰ τὸ τίθεσθαι ταύτην ἀρχήν.* *Ioann. Philop.* d. Anim. c. 7. *Διογένης Ἀπολλωνιάτης καὶ Ἀναξιμένης ἀρχὴν τῶν ὄντων τὸν ἀέρα λέγοντες, ἐκ τούτου καὶ τὴν ψυχὴν ἔλεγον. καὶ γινώσκειν μὲν πάντα τὴν ψυχὴν ὡς ἔχουσαν τὴν τῶν πάντων ἀρχήν. κινητικωτάτην δὲ εἶναι διὰ τὴν λεπτομέρειαν. εἴρηται γάρ, ὅτι δεῖ γε κινοῦν λεπτομερέστατον εἶναι, ὥστε διαδύνειν δι' ὅλου τοῦ κινουμένου, ἵνα καὶ ὅλον κινῇ. λεπτομερὴς δὲ ὁ ἀήρ.* Cf. praeterea Arist. d. Anim. 1, 2. *ταὐτὸ δὲ φέρονται καὶ ὅσοι λέγουσι τὴν ψυχὴν τὸ αὐτὸ κινοῦν. ἐοίκασι γὰρ οὗτοι πάντες ὑπειληφέναι τὴν κίνησιν οἰκειότατον εἶναι τῇ ψυχῇ. καὶ τὰ μὲν ἄλλα κινεῖσθαι διὰ τὴν ψυχήν, ταύτην δ' ὑφ' ἑαυτῆς, διὰ τὸ μηδὲν ὁρᾶν κινοῦν, ὃ μὴ καὶ αὐτὸ κινεῖται.*

animus, id ad viventem illam et vegetam animi vim referendum est. Ceterum per se patet, discrimen inter utramque partem non tantum esse, ut certis quaeque limitibus circumscripta cogitari debeat; sed verissime de hac re *Schleiermacherus* (Heracl. p. 475) dicit: Selbstbewegung aber und Bewusstseyn, Erkennen sammt allem dahin gehörigen waren den Alten insgesammt wesentlich verbunden, und wo nur Lebenskraft, Seele, ψυχή, genannt wird, da ist immer die Einheit dieser beiden Thätigkeiten gemeint.

Cap. 44. Iam vero primo quisque obtutu animadvertit, priores physicos omnes vim animi vitalem raro in partes vocasse, rarius vero rationalem, quae velut mortua iacuit et sepulta; Diogenem contra summo et potentissimo loco in doctrina sua collocasse, quam illi negligerent, rationem et mentem, adeo ut in hac illustranda prae ceteris omnibus diligentissime elaborasse videatur. Cuius rei causae haud obscurae sunt. Isti enim amplissimam in philosophia sua potestatem tribuerunt fato, quo liberam et rationis et motus vim prorsus sustulerunt. Namque ut ad *Thaletem* revertamur, is quidem fatum omnium rerum potentissimum esse dixit, cuius vi effectum sit, ut mundus exsistat. *Anaximandri* autem, quod unum ad nos pervenit, fragmentum, apertissime docet, quantum ille fato tribuerit: „unde res originem habeant, ait, in idem interitum iis esse *secundum necessitatem*; iustas enim poenas dare iniustitiae ex temporum ratione“: in quo quemnam, quaeso, reliquit rationi et consilio locum? — Ad *Anaximenem* deinde quod attinet, relatum quidem non est, quid hac de re statuerit; sed vix dubitari potest, quin idem fati necessitate usus fuerit. *Heraclitus* autem quam late regnantem fati vim fecerit, notum est, et, licet puriori igni, ut diximus, rationem addiceret, huius tamen omnem vim in eo posuit, ut ea, quae ἐναντιοδρομίας, quam vocat, necessitate effecta essent, cognosceret: unde rationem plane fato subiectam fuisse patet. Sed ut ad Diogenem perveniamus, negari quidem nequit, hunc et ipsum

fato usum esse; sed in paucis tantum, et in primis fere rerum initiis, si quidem, quum *νόησιν* ex aëre tandem exortam esse arbitraretur, prima generationis causa explicanda restabat. Simulatque enim *νόησις* orta erat, huic statim in imperio cessisse videtur fatum. Nam quum praeclarissimum istum in rerum natura ordinem ac modum sine ratione exsistere potuisse negaret, ex hac quidem sententia, *νοήσεως* vi et consilio cuncta in rerum natura quam pulcherrime instituta esse atque adornata, sequitur: cuius efficientiam quibus finibus terminasse putandus sit, haud facile videas. Quum primum autem Diogenes, quam late pateret *νοήσεως* ambitus, intellexisset, fieri non potuit, quin eam principio inesse postularet, prius quam etiam definiret, quale id esset. Ex his omnibus autem quum clare intelligatur, quantum Diogenes prae omnibus iis, qui ante eum fuerunt, emineat atque excellat: prorsus tamen novam atque inauditam eum protulisse doctrinam affirmare nolim. Aperte enim ab Anaximene, etiam si eum non audierit, in philosophia exit, aliorumque philosophorum, qui interea exstiterunt, inventis, uti fieri solet, excitatus, alia, quae in Anaximenis doctrina laterent, in lucem protraxit et excoluit, alia etiam addidit nova, alia aliter exposuit novaque luce illustravit, alia denique emendavit et correxit.

Cap. 45. Sed redeamus in ordinem. Pergit Simplicius absoluto fragmento VI hoc modo: *καὶ ἐφεξῆς δείκνυσιν, ὅτι καὶ τὸ σπέρμα τῶν ζώων πνευματῶδές ἐστι, καὶ νοήσεις γίνονται τοῦ ἀέρος σὺν τῷ αἵματι τὸ ὅλον σῶμα καταλαμβάνοντος διὰ τῶν φλεβῶν· ἐν οἷς καὶ ἀνατομὴν ἀκριβῆ τῶν φλεβῶν παραδίδωσιν.* Ut vero ab extremo incipiamus, accurata illa venarum descriptio, quam dicit Simplicius, hodie etiam legi apud Aristotelem, supra commemoratum est. Quum autem in ea ipsa novissimo demum loco ad venas spermaticas seminisque in iis origines deferatur Diogenes, idque paucis verbis, ut, quae de seminis natura dicenda haberet, vix tibi persuadeas, his contenta fuisse et absoluta omnia; suspicari

possis, totum hunc de venis locum, paucis nexus causa adiectis, continuo secutum esse fragm. VI, omnemque deinde de semine animalium disputationem ab extremis huius verbis progressam. Sed obstat Simplicii auctoritas. Nam *ἐφεξῆς* i. e. deinceps, in iis, quae proxime sequebantur, eum demonstrasse ait, animantium semen esse spirabile, additque, venarum descriptionem iis, quae de hac re et de *νοήσεσι* exponeret, *fuisse interpositam* (*ἐν οἷς — παραδίδωσιν*). Quare res ita adornata videtur fuisse a Diogene. Quod fragm. VI in universum proposuit, aëre omnia animantia et vivere et audire et videre omnemque omnino *νόησιν* habere, sed variam eam ac diversam pro mutabili aëris natura: id ipsum iam in singulis diligentiore explicatione persecutus esse videtur. In his vero primo loco ostendisse videtur, quo modo prima vitae initia animalibus in aëre posita sint, si quidem semen, ex quo nascantur, spumescat aëre perfusum, ita ut ipsum *ἀφροδισίων* nomen inde explicandum censeret. cf. *Clemens Alex.* Paedag. 1, 6. p. 14. ed. Flor. 1551. *τινὲς δὲ καὶ τὸ σπέρμα τοῦ ζώου ἀφρὸν εἶναι τοῦ αἵματος κατ' οὐσίαν ὑποτίθενται· ὃ δὴ τῇ ἐμφυτῷ ἄῤῥενος θερμῇ παρὰ τὰς συμπλοκὰς ἐκταραχθὲν ἐκριπιζόμενον ἐξαφροῦται κἀν ταῖς σπερματίσι παρατίθεται φλεψίν. ἐντεῦθεν γὰρ ὁ Ἀπολλωνιάτης Διογένης τὰ ἀφροδίσια κέκλησθαι βούλεται.* Quid praeterea de seminis natura docuerit Diogenes, non satis constat, quum ne ea quidem omnia, quae narrat Clemens, ad Diogenem pertinere videantur [1]). Sed iam hoc loco quaestio ei se obtulit, qua via aër in vasa illa semen continentia pervenerit, nec potuit facere, quin statim de venarum per totum corpus distributione diligentius ageret, quum harum ope aërem ubique diffundi et in ipsa genitalia penetrare statueret. Venas enim propriam et genuinam in corpore animalium aëris calidi ra-

---

1) Similia habet e. g. *Hippocrates* seu qui tandem librum de Genitura perscripsit alius: sect. III. p. 11. ed. Foës. *τριβομένου δὲ τοῦ αἰδοίου καὶ τοῦ ἀνθρώπου κινευμένου τὸ ὑγρὸν θερμαίνεται ἐν τῷ σώματι καὶ διαχέεται καὶ κλονέεται ὑπὸ τῆς κινήσιος καὶ ἀφρέει.* Et multis aliis locis.

tioneque praediti Diogenem habuisse sedem, quum e multis aliis, tum ex ea ratione, qua mortis causam explicat (vid. c. 52), clare cernitur. Confecta autem venarum descriptione paucis ad id revertitur, unde exierat.

Cap. 46. Continet igitur, quod iam sequitur, fragmentum VII uberiorem et pro Diogenis aetate accuratam expositionem venarum, in qua id potissimum spectabat, ut ostenderet, quo modo harum per totum corpus distributarum ope calidior iste et rationalis aër, in omnes animalium partes derivatus, omnium et sensuum et cogitationum exsisteret causa. Sed, quo clarius singula in hoc loco intelligantur, pauca in universum disputata praemittere, a re non alienum duxi. Ac primo quidem de praecipuis anatomicae apud antiquiores physiologos scientiae fontibus si quaesieris, duos in primis fuisse, ex *Aristotele* patet. Nam quum antiquioribus his temporibus humana corpora dissecare nondum consuevissent, (nam postera demum aetate ars anatomica inventa;) unde, si unquam ipsis contingeret, ut interiorum corporis humani partium aliquam oculis usurparent, forte id et casu accidisse putandum sit: ii, qui in his rebus studium atque operam ponerent, mature *ad animalium naturam* confugisse videntur [1]. Et quamvis ne hoc quidem ab initio de industria et in hunc finem factum esse videatur; repetitae tamen hostiarum sacrificationes largam interioris animalium naturae contemplandae praebuerunt occasionem, praesertim quum et ipsa religio in plerisque sacris et suaderet et iuberet, curiose ut exta perquirerent, ne quid vitiosi diis offerretur: qua cognitionis augendae opportunitate diligenter usos esse harum rerum studiosos, quis est,

1) Cf. *Aristot.* h. anim. 1, 31, 1: τὰ μὲν οὖν μόρια τὰ πρὸς τὴν ἔξω ἐπιφάνειαν . . . . γνώριμα διὰ τὴν συνήθειάν ἐστι, τὰ δ᾽ ἔντος τοὐναντίον· ἄγνωστα γάρ ἐστι μάλιστα τὰ τῶν ἀνθρώπων, ὥστε δεῖ πρὸς τὰ τῶν ἄλλων μόρια ζώων ἀνάγοντας σκοπεῖν, οἷς ἔχει παραπλησίαν τὴν φύσιν. d. Part. anim. 3, 4. fin. ὅσα δὲ διὰ νόσους καὶ τοιαῦτα πάθη φαίνεται τελευτῶντα τῶν ζώων, τούτοις ἀνατεμνομένοις φαίνεται περὶ τὴν καρδίαν νοσώδη πάθη. Etiam Anaxagoras passim ad talia delatus fuisse videtur. cf. *Schaub*. p. 40.

cui non, etiam si alia argumenta desint, per se facile sit intellectu? Sed confirmatur Aristotelis auctoritate, qui passim ad extispicia provocat., e. gr. hist. anim. 1, 14, 6. d. part. Anim. 3, 4. p. 523. ib. 4, 2. cet. Ex iis autem, quae in hostiis observabant, facile in universum quidem coniicere poterant de hominis interioribus partibus, de earum figura, ordine et loco, magnitudine, colore, usu praeterea multiplici, et quae eiusdem generis reliqua sunt. Nihilo minus fieri non potuit, quin satis curta et manca haec eorum ex animalibus sive in sacris immolatis, sive in quotidianum vitae usum mactatis hausta cognitio esset, quum hac opportunitate non alias partes, nisi id casu eveniret, oculis viderent, nisi maiores illas, quae ventre continentur. Reliquarum enim partium vix unquam in extispiciis ratio habita est. Quare quovis alio pacto mancam illam cognitionem supplere coacti erant. Atque in his ultro iis sese obtulit *diligentior externi corporis humani habitus contemplatio*, quum ex iis, quae in ipsa eius superficie in macilentis maxime hominibus cernerent, velut nervos, venas, ossa, carnes, alia, de reconditioribus etiam partibus iudicare posse sibi viderentur. Quam quidem rem de venis saltem clarissime testatur *Aristoteles* hist. Anim. 3, 2, 2. οἱ δὲ ἐν τοῖς λελεπτυσμένοις σφόδρα ἀνθρώποις ἐκ τῶν ἔξωθεν φαινομένων τὰς ἀρχὰς τῶν φλεβῶν διώρισαν. Ad hoc idem spectat ib. c. 5, 1. αἱ μὲν γὰρ φλέβες ὥσπερ ἐν ταῖς γραφομέναις κανάβοις τὸ τοῦ σώματος ἔχουσι σχῆμα παντὸς οὕτως, ὥστ᾽ ἐν τοῖς σφόδρα λελεπτυσμένοις πάντα τὸν ὄγκον φαίνεσθαι πλήρη φλεβίων. Et d. Part. Anim. 3, 5. p. 524. ubi itidem de venarum per corpus distributione loquitur: γίγνεται δὲ κατάδηλον ἐν τοῖς μάλιστα καταλελεπτυσμένοις. Quid? quod ipse Aristoteles ad venas cognoscendas usus est corporibus animalium antea in maciem attenuatorum suffocationeque necatorum (hist. an. 3, 1.).

Cap. 47. Sed redeamus ad Diogenem, in cuius fragmento explicando dici non potest, quantum lucis afferant, quae modo exposuimus. Nam si ponimus, Diogenem maiores venas atque arterias, quas hodie vocant, in animalibus

mactatis vidisse; reliquarum vero rivulos, quantum id fieri posset, in corporis superficie observasse indeque divinasse de eorum cursu interiore: omnia fere clara sunt, quae de venis exposuit. Et re vera ita eum egisse, nonnulla etiam vestigia in ipsius oratione expressa, quae in singulis indicabimus, ostendunt. Ex his vero liquet, plurimas, quarum mentionem facit, veras esse venas, quas nostri etiam dicunt, paucas arterias, propterea quod arteriae profundiores sunt, quam quae usquam ex corporis superficie pelluceant; neque in ipsis commode cadaveribus conspiciuntur [1]), quum ab ipso mortis articulo sanguine suffluente destitutae contrahantur ita, ut, nisi longo usu repetitaque experientia edocto, perdifficile sit, eorum cursum persequi. Unde vix exspectari potest, a Diogene id esse factum. Quibus vero praemonitis facile, opinor, intelligetur, quae causae fuerint, cur Diogenes, quum venae atque arteriae ubique fere in toto corpore sese comitentur, ubi duo ex his sanguinis receptacula appellanda et describenda essent, de uno tantum ageret: alterum enim, arteriam dico, ignorabat. Ex his omnibus autem patet, interpretem in Diogenis mente indaganda, excepta aorta et proximis eius ramis, undique primo loco circumspicere debere, an venarum ope res commode explicari possit, prius quam ad arterias confugiat. Accedit, quod Diogeni omnibusque omnino huius et sequentis aetatis et medicis et philosophis discrimen inter venas et arterias ita ignotum erat, ut omnia vasa sanguinem continentia communi φλεβῶν nomine appellarent. Vid. *Sprengel* hist. medic. §. 57. p. 322. §. 78. p. 364. Hinc ego quoque in interpretando Diogenis fragmento, nisi ubi recentiora nomina adhiberem, aut venas expresse arteriis opponerem, de utrisque semper sola venarum appellatione usus sum. Qui ex hac re nobis exsistit fructus, duplex est. Nam quum venarum atque arteriarum discrimen in eo maxime positum sit, ut hae sanguinem e corde ac-

---

1) Cf. *Aristot.* d. Part. Anim. 3, 5. p. 524. B. *καὶ τὴν μὲν (φλέβα μεγάλην) ἅπαντ' ἔχει τὰ ἔναιμα φανερῶς, τὴν δὲ (ἀόρτην) ἔνια μὲν ἀμυδρῶς, ἔνια δ' ἀφανῶς.*

ceptum, tanquam canalibus in reliquas corporis partes abducant, illae contra ab arteriis traditum in cor iterum reducant, ut utrarumque ope nobilis ille sanguinis circuitus oriatur; sponte intelligitur, neque Diogenem neque omnes omnino eos, quos venarum et arteriarum fugeret discrimen, hunc sanguinis novisse circuitum. Idque in Diogene eo magis probabile est, quum cor, haud aliter ac cetera intestina, venis maximis, quas statuit, annexum esse doceat, neque vero communem id omnium venarum fontem agnoscat et caput. Deinde etiam iam mirum non videbitur, si arterias passim venis continuatas ab ipso creditas esse inveniemus, iis in locis, ubi earum decursum oculis cernere non posset. Sed ipse Diogenis locus apponendus atque illustrandus est.

Cap. 48. *Fragm. VII.* *Αἱ δὲ φλέβες ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ὧδ' ἔχουσιν. Εἰσὶν δύο αἱ μέγισται· αὗται τείνουσι διὰ τῆς κοιλίας παρὰ τὴν νωτιαίαν ἄκανθαν, ἡ μὲν ἐπὶ δεξιά, ἡ δὲ ἐπ' ἀριστερά, εἰς τὰ σκέλη ἑκατέρα τὰ παρ' ἑαυ-*

Servatum hoc fr. ab *Arist.* d. hist. anim. 3, 2, 4, ut supra iam dictum est. Ita vero inducit: *Διογένης δὲ ὁ Ἀπολλωνιάτης τάδε λέγει.* *Schneideri* potissimum textus recensionem secutus sum.

Αἱ δέ φλέβες ἐν τῷ ἀνθρ.— ἔχουσιν] Satis accurate hoc initium e Diogenis libro translatum videtur; habuit haud dubie *δὲ* apud Diogenem, quo referretur; non idem habet apud Aristotelem.

Εἰσὶν δύο αἱ μέγισται] Vulgo *εἰσὶν αἱ δύο μέγισται.* *Thomae* (s. potius *Moërbekae)* vers: sunt duae, quae maximae, unde *Schneider.* effecit eam lectionem, quam posui. Sed melius fortasse ex Rhenani vitiosa scriptura: *εἰς δύο μέγισται*, scripseris: *εἰσὶ δύο μέγισται.*

αὗται τείνουσι διὰ τῆς κοιλίας — ἄκανθαν] Cave apud Diogenem *κοιλίαν* eodem sensu accipias, quo apud Aristotelem, cui hoc nomine receptacula cibi et excrementi appellantur. cf. hist. anim. 1, 2, 1 et 2. ibid. *Schneid.* 1, 14, 10. ib. *Schneid.* Quam h. l. *κοιλίαν* dicit Diogenes, ex Aristotelis usu *θώραξ* dicendus erat. cf. hist. anim. 1, 7, 1. ib. *Schn.* qui citat *Etym. M.*, cuius *θώρακος* explicatio quadrat etiam in Diogenis *κοιλίαν*: *οἱονεὶ τὸ ἀκολαυστικὸν μέρος τοῦ σώματος, τὸ ἀπὸ τοῦ τραχήλου μέχρι τῶν αἰδοίων καθῆκον κύτος, ὃ καὶ ὅλμος καλεῖται.* Cf. praet. d. part. anim. 4, 10. quem locum idem affert *Schneid.* Hanc enim Diogeni *κοιλίαν* habuisse significationem, patet ex rei ipsius natura. Aperte enim loquitur de *aorta* et *vena cava*, quae utrimque iuxta spinam dorsi descendunt, haec dextrorsum, sinistrorsum illa, neutra vero per ventriculum vel similem partem. Rem dirimit *Aristotelis* locus h. an. 3, 3, 1. de iisdem venis: *δύο φλέβες εἰσὶν ἐν τῷ θώρακι κατὰ τὴν ῥάχιν ἐντός.* cet. ubi in eadem re *θώρακα* appellat, quod Diog. *κοιλίαν.* Suum igitur Diogeni Aristoteles reliquit usum.

εἰς τὰ σκέλη — ἑαυτῇ] Utra-

τῇ, καὶ ἄνω εἰς τὴν κεφαλὴν παρὰ τὰς κλεῖδας διὰ τῶν σφαγῶν. ἀπὸ δὲ τούτων καθ' ἅπαν τὸ σῶμα αἱ φλέβες διατείνουσιν, ἀπὸ μὲν τῆς δεξιᾶς ἐπὶ τὰ δεξιά, ἀπὸ δὲ τῆς ἀριστερᾶς ἐπὶ τὰ ἀριστερά, μέγισται μὲν δύο

que, de qua h. l. agit, et *aorta descendens* et *vena cava inferior* circa quartam vertebram lumborum finditur, ita, ut ab aorta duo rami, qui primo *arteriae iliacae* appellantur, tum vero, ubi in crura pervenerunt, *cruralium* nomine insignes sunt, descendant; in *venam vero cavam* eodem modo duo rami adscendant. Diogenes autem omnem harum divisionem ignorat, et aortam in solum laevum crus, venam contra cavam in solum dextrum meare statuisse videtur. Namque *εἰς τὰ σκέλη τὰ παρ' ἑαυτῇ* est: sinistra i. e. aorta in sinistrum; dextra i. e. vena cava, in dextrum.

καὶ ἄνω εἰς τὴν κεφαλὴν — σφαγῶν] i. e. et sursum eodem modo dextra in dextram colli partem adscendit, sinistra in sinistram. *παρὰ τὰς κλεῖδας* vulgo *περί*. Sed *παρὰ* dedit *Camus* ex Vatic., Reg., Ambros., probante Schneidero, i. e. *praetereunt claviculas*. Eodem redit *περί*, in regione clavicularum. Utrumque rei naturae accommodatum; dicit enim *venas iugulares*, fortasse etiam *carotides*. Sed *παρὰ* Codd. auctoritate stat. *διὰ τῶν σφαγῶν* i. e. *per iugulum*. Res ipsa accuratius infra exponetur.

ἀπὸ δὲ τούτων — αἱ φλέβες διατείνουσι] Restitui in his *αἱ φλέβες*. Articulum *Schneid.* c. Rhen. omiserat. Nam *omnes venae, quae sunt, hinc*, e vena cava et aorta, *in singulas totius corporis partes pertinent*, idque *ἀπὸ μὲν τῆς δεξιᾶς ἐπὶ τὰ δεξιά, ἀπὸ δὲ τῆς ἀριστερᾶς ἐπὶ τὰ ἀριστερά*] Haec verba maximi momenti sunt ad intelligendum totum hunc locum. Continent enim errorem, quem cardinalem in hac re dixerim. Fingit Diogenes, quemadmodum aliae partes in utroque hominis latere inter se respondeant, *ita omnes quoque, quotquot in corpore sint, venas duabus quasi regionibus, similibus inter sese, circumscribi, dextra altera, altera sinistra, ita ut omnium, quae in dextro hominis latere deprehendantur, venarum, in vena cava; earum contra, quae in sinistro, in arteria aorta fons sit quaerendus.* Neque solus Diogenes ita statuisse, sed vulgaris inter antiquissimos physiologos haec opinio fuisse videtur. Huc enim haud dubie *Polybi* ap. Aristot. h. an. 3, 2, 8 venarum illa ζεύγη spectant, et clarissime *Plato* in Timaeo hanc eandem rationem sequitur p. 77. c. (112. Bek.) *καὶ πρῶτον μὲν*, inquit, *ὀχετοὺς κρυφαίους ὑπὸ τὴν ξύμφυσιν τοῦ δέρματος καὶ τῆς σαρκὸς δύο φλέβας ἔτεμον νωτιαίας, διδύμους, ὡς τὸ σῶμα ἐτύγχανεν δεξιοῖς τε καὶ ἀριστεροῖς ὄν.* Ne tamen omnis utriusque lateris communicatio tollatur, decussatione aliqua venarum, quam quibusdam in locis statuunt, cavisse videntur.

μέγισται μὲν δύο εἰς τὴν καρδίαν] sc. *ἀπὸ τούτων τείνουσι*, ut necessario de ramis tantum, ab aorta et vena cava in cor pertinentibus, cogitare debeamus. Neque id mirum, quum neque in *Syennesis*, Cyprii Medici, (Ar. h. a. 3, 2, 3.) neque in *Polybi*, ipsius Hippocratis generi, venarum enarratione minimam cordis mentionem factam videamus, ut ab Aristotele demum harum venarum cum corde nexus rectius intellectus esse videatur. h. anim. 3, 3, 3. *καὶ ἡ μὲν φλὲψ διὰ τῆς καρδίας, ἡ δ' ἀόρτη ἀπὸ τῆς καρδίας τείνει.* Qui vero factum sit, ut Diogenes in eum, quem sequitur, errorem incideret, in aorta clarius demonstrari potest. Haec enim e corde exorta primo paullulum adscendit;

εἰς τὴν καρδίαν, περὶ αὐτὴν τὴν νωτιαίαν ἄκανθαν, ἕτεραι δὲ ὀλίγον ἀνώτερον διὰ τῶν στηθέων ὑπὸ τὴν μασχάλην εἰς ἑκατέραν τὴν χεῖρα τὴν παρ' ἑαυτῇ· καὶ καλεῖται ἡ μὲν σπληνῖτις, ἡ δὲ ἡπατῖτις. σχίζεται δ' αὐτῶν

mox vero, cursu versus spinam dorsi inflexo, iuxta hanc per *κοιλίαν* descendit. Ea autem ipsius pars, qua inflectitur, a medicis *arcus aortae* appellatur. Ex hoc ipso vero arcu aortae proveniunt *carotis sinistra* et *arteria subclavia sinistra,* itemque in dextra parte eaedem dextrae, intercedente tamen inter has et aortam *arteria ἀνωνύμῳ*, quam vocant. Sed redeamus ad sinistras, de quibus solis hic quaeritur. Ut enim aorta ipsa ab arcu iuxta spinam descendit, ita carotis sinistra ab eodem loco per collum ad caput adscendit, ita ut, quamvis multo angustior sit, quam aorta, aliqua tamen veritatis specie eam continuare videri possit, maxime ei, qui, quo in ea feratur sanguis, ignoret. Ita *Aristoteles* quoque statuisse videtur; carotidem certe aortae appellatione complectitur, h. an. 3, 3, 3. *ἡ δ' ἀορτὴ στενωτέρα μὲν ταύτης, σφόδρα δὲ νευρώδης. καὶ ἀποτεινομένη πόῤῥω πρός τε τὴν κεφαλὴν καὶ πρὸς τὰ κάτω μόρια στενή τε γίγνεται καὶ νευρώδης πάμπαν.* d. Part. An. 2, 7. p. 496. d. cerebro: *ἵνα δὲ καὶ τοῦτο τὸ μόριον τυγχάνῃ μετρίας θερμότητος, ἀφ' ἑκατέρας τῆς φλεβός, τῆς μεγάλης καὶ τῆς καλουμένης ἀορτῆς τελευτῶσιν αἱ φλέβες εἰς τὴν μήνιγγα τὴν περὶ τὸ ἐγκέφαλον.* Ceterum Diogenes inter carotides et venas iugulares non accurate distinxisse videtur. Vid. infr. Simili ratione res in *vena cava* cogitanda erit, quam haud dubie vena iugulari dextra continuatam putabat. Sed qui fieri potuit, ut pro duobus, iisque satis amplis venae cavae in cor orificiis, unum tantum statuerit, nisi forte ipsum cordis atrium venae cavae utriusque habebat ramum, in quam opinionem eo facilius incidere poterat, quo saepius posteriora harum latera sese contingant: id aliis explicandum relinquo, quibus ipsas interiores partes visendi frequentior occasio fuit.

περὶ αὐτὴν τὴν νωτιαίαν ἄκανθαν] i. e. circa ipsam spinam dorsi, *proxime ad spinam dorsi.* Nam quum ab altera parte cor latiore ambitu sit, ab altera in mucronem attenuatum: hoc ipso mucrone suo ad costas pertinet sinistras, latiore contra parte prope ad spinam dorsi. In hanc autem latiorem partem pertinent aorta et vena cava.

ἕτεραι δὲ ὀλίγον ἀνώτερον διὰ τῶν στηθέων — τὴν παρ' ἑαυτῇ] Diogenem de *venis subclaviis* et *basilicis*, ut vocant, quae continuo ab illis ad interiorem brachii partem in manus pertendunt, h. l. agere, perspicuum est ex iis, quae de earum quasi via addit: *διὰ τῶν στηθέων* cet. *per thoracem sub axillis in manus.* Iterum vero h. l. notandum, sinistras eum venas, subclaviam et basilicam, ex aorta derivare. Nam quod quis suspicari possit, eum in sinistro brachio arteriam subclaviam et brachialem dicere, id vel inde refutatur, quod infra *σπληνῖτιν* (sic enim appellat), in venae sectione adhiberi solitam esse narrat; quae res in arteria nunquam locum habere potuit.

καὶ καλεῖται ἡ μὲν σπληνῖτις, ἡ δὲ ἡπατῖτις] *Arist.* h. an. 3, 4, 1. 2. de iisdem agit, quanquam paullo aliter, nec appositis nominibus. *δύο δ' ἀπὸ τῆς διὰ τοῦ ἥπατος φλεβὸς ἀποσχίσεις εἰσίν, ὧν ἡ μὲν εἰς τὸ ὑπόζωμα τελευτᾷ καὶ τὰς καλουμένας φρένας, ἡ δὲ πάλιν ἐπανελθοῦσα διὰ τῆς μασχάλης εἰς τὸν βραχίονα τὸν δεξιόν, συμβάλλει ταῖς ἑτέραις φλεψὶ κατὰ τὴν ἐντὸς καμπήν. διὸ ἀποσχαζόντων τῶν ἰατρῶν ταύτην ἀπολύονται τινῶν πό-*

τα παρὰ τὸ γόνυ τείνουσιν εἰς τὴν κνήμην τε καὶ τὸν πόδα, καθάπερ καὶ εἰς τὰς χεῖρας, καὶ ἐπὶ τὸν ταρσὸν τοῦ ποδὸς καθήκουσι καὶ ἐντεῦθεν ἐπὶ τοὺς δακτύλους διατείνουσι. σχίζονται δὲ καὶ ἐπὶ τὴν κοιλίαν καὶ ἐπὶ τὸ πλευρὸν πολλαὶ ἀπ' αὐτῶν καὶ λεπταὶ φλέβες, αἱ δὲ εἰς τὴν κεφαλὴν τείνουσαι διὰ τῶν σφαγῶν φαίνονται ἐν τῷ αὐχένι μεγάλαι· ἀφ' ἑκατέρας δ' αὐτῶν, ᾗ τελευτᾷ, σχίζονται εἰς τὴν

eo, quod Arist. dicit ἔνδοθεν s. similiter.

ἔπειτα παρὰ τὸ γόνυ τείνουσιν εἰς τὴν κνήμην τε καὶ τὸν πόδα] παρὰ τὸ γόνυ i. e. genu praetereuntes. Hoc vero naturae consentaneum. κνήμη est omnis pars a genu ad pedem.

καθάπερ καὶ εἰς τὰς χεῖρας] *Schneid.* c. Cam. dedit καθ. αἱ. Restitui vulgatam, quippe frequentissimo τοῦ καὶ post ὥσπερ, καθάπερ et talia usui convenientem. *Ut venae brachiales,* inquit, *usque in manum pertendunt ac digitos, ita venae crurales in pedes horumque summos digitos.*

σχίζονται δὲ καὶ ἐπὶ τὴν κοιλίαν — φλέβες] σχίζονται sc. ἀπὸ τῶν πρώτων φλεβῶν. Confecta enim de venis cruralibus disputatio. σχίζονται ἐπὶ τὴν κοιλίαν i. e. σχισθεῖσαι τείνουσιν ἐπὶ τ. κ. Iterum haec orationis brevitas Aristoteli videtur deberi. De vi vocis κοιλία vid. supr. Diogenes quum iam in eo sit, ut ad describendas venas, quae in collo et capite deprehenduntur, transeat, verbo saltem significare voluit, multas insuper, praeter eas, quas singulas descripserat, esse venas tenuiores, quae a primis illis venis exortae in diversas τῆς κοιλίας partes abeant. Ab his autem primo statim obtutu diversae inveniuntur *arteriae et venae intercostales*, quas dicit his verbis: καὶ ἐπὶ τὸ πλευρόν. τὸ πλευρὸν enim est latus, quod costis efficitur; τὰ πλευρὰ sunt ipsae costae. Aorta descendens in quodque costarum intervallum arteriam emittit, quarum unam quamque comitatur vena, in venam cavam pertinens. Iam Diogenes rem ita sibi fingit, ut sinistras ex aorta, dextras e vena cava derivet, ut in his omnibus.

αἱ δὲ εἰς τὴν κεφαλὴν — μεγάλαι] Has quoque supra praevia oratione nominaverat: καὶ ἄνω εἰς τὴν κεφαλὴν παρὰ τὰς κλεῖδας διὰ τῶν σφαγῶν. Unde dicit: αἱ τείνουσαι, quippe de notis. εἰς τὴν κεφαλὴν i. e. ἐπὶ τὴν κεφαλήν.

διὰ τῶν σφαγῶν] Iunge haec cum τείνουσαι. σφαγαὶ sunt iugula, pars colli mollis, maxime ad eius latera, ubi magnae istae venae et arteriae sunt, quas *iugulares* vocant, graece σφαγίτιδες, quae in mactandis animalibus aperiuntur. Contra αὐχὴν de toto collo dicitur. *Arist.* h. an. 1, 10, 1. αὐχὴν δὲ τὸ μεταξὺ προςώπου καὶ θώρακος. Dubitari nequit, quin de *venis iugularibus externis* loquatur, quae sub ipsa cute descendunt et in plerorumque hominum collo clarissime cernuntur (φαίνονται ἐν τῷ αὐχένι μεγάλαι), maxime quando vehementius animus commotus est. Ceterum supra iam expositum est, his venis Diogeni aortam et venam cavam continuatam esse visam.

ἀφ' ἑκατέρας δ' αὐτῶν — παρὰ τὸ οὖς ἑκάτεραι] Multi venarum ramuli retis instar undique in capite distributi ad aurem in venam iugularem externam colliguntur, de quibus Diogenes ex sua ratione ita loquitur, quasi a vena iugulari ad aurem usque adscendente, undi-

κεφαλὴν πολλαί, αἱ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν εἰς τὰ ἀριστερά, αἱ δ' ἐκ τῶν ἀριστερῶν εἰς τὰ δεξιά. τελευτῶσι δὲ παρὰ τὸ οὖς ἑκάτεραι. ἔστι δὲ ἑτέρα φλὲψ ἐν τῷ τραχήλῳ παρὰ τὴν μεγάλην ἑκατέρωθεν, ἐλάττων ἐκείνης ὀλίγον, εἰς ἣν αἱ πλεῖσται ἐκ τῆς κεφαλῆς συνέχουσιν

que in caput emittantur. ἀφ' ἑκατέρας δ' αὐτῶν sc. venarum iugularium. αἱ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν — δεξιά. Possit hic locus ita explicari, ut, quum caput globosa sit forma, ramos a iugulari vena dextra exeuntes capitique circumiectos sinistrorsum verti dicas, e sinistra vero dextrorsum. Sed facit *Plato* in Timaeo de eadem re agens, ut de vera quadam decussatione aut complexione venarum utriusque lateris cogitem, cuius certe plurimae istae in capite venulae speciem praebent. Platonis locus hic est (Tim. p. 77. fin. 113. Bek.): μετὰ δὲ ταῦτα σχίσαντες περὶ τὴν κεφαλὴν τὰς φλέβας καὶ δι' ἀλλήλων ἐναντίας πλέξαντες διεῖσαν, τὰς μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν ἐπὶ τἀρίστερα τοῦ σώματος, τὰς δ' ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιὰ κλίναντες, ὅπως δεσμὸς ἅμα τῇ κεφαλῇ πρὸς τὸ σῶμα εἴη μετὰ τοῦ δέρματος, ἐπειδὴ νεύροις οὐκ ἦν κύκλῳ κατὰ κορυφὴν περιειλημμένη, καὶ δὴ καὶ τὸ τῶν αἰσθήσεων πάθος, ἵν' ἀφ' ἑκατέρων τῶν μερῶν εἰς ἅπαν τὸ σῶμα εἴη διαδιδόμενον. Cf. *Arist.* h. an. 3, 3, 8, qui venulas istas caput circumplecti ait ab utroque latere, eodem fere sensu.

ἔστι δὲ ἑτέρα φλὲψ ἐν τῷ τραχήλῳ — συνέχουσιν αὐτῆς] „*Est et altera vena prope maiorem, sed paullo ea minor, in utroque cervicis latere.*“ *Scalig. vers.* Recte. ἑκατέρωθεν enim ad colli latera referendum, minime vero ad venam iugularem exteriorem, de qua modo locutus erat, et quam nunc μεγάλην dicit, respiciens ad superiora illa: αἱ δὲ εἰς τὴν κεφαλὴν τείνουσαι . . . . φαίνονται ἐν τῷ αὐχένι μεγάλαι.

εἰς ἣν αἱ πλεῖσται ἐκ τῆς κεφαλῆς συνέχουσιν αὐτῆς] Vulgo συντείνουσιν. Scripsi c. *Schneidero* συνέχουσιν, meliorum librorum auctoritatem secutus, quanquam res eodem redit: *in quam plurimae contendunt ex ipso capite* h. e. ex ipsis interioribus capitis partibus, e cerebro, oculis, auribus cet. Dicta enim haec sunt ex oppositione earum venarum, quae extrinsecus cranium induentes in venas iugulares exteriores colliguntur. Sed quaeritur, quasnam hic venas dicat Diogenes. Si, quod posuimus, vere positum est, eum in his omnibus speciem maxime in superficie corporis apparentium venarum secutum esse; *venam* eum *iugularem interiorem* hoc loco significare, probabile est, quae iuxta venam iugularem externam ad collum descendens, in plerisque hominibus conspicua est. In hanc e cerebro sanguis profunditur, *sinuum*, uti vocant, ope, qui tamen re vera venae esse dicuntur, quorumque maximi illi *transversi* inter os petrosum atque os occipitis penetrantes, orificium habent in venam iugularem internam. Sed haec explicatio paullo longius petita videtur, et iure dubitari potest, an Diogeni hi sinus innotuerint. In promptu autem sunt multae arteriae, quae per cerebrum distributae deprehenduntur, et facile fieri potuit, ut has pro manca sua arteriarum cognitione ad venas iugulares internas pertinere putaret, quamvis re vera e carotide interna provenirent. Omnino vero ne cui mirum videatur, carotidum nullam ab eo factam esse mentionem, has a venis iugularibus non satis distinxisse, sed utrasque habuisse videtur easdem. Nam quoquo modo sese illud habet, hoc certum

αὐτῆς. καὶ αὗται τείνουσι διὰ τῶν σφαγῶν εἴσω. καὶ ἀπ' αὐτῶν ἑκατέρας ὑπὸ τὴν ὠμοπλάτην τείνουσι καὶ εἰς τὰς χεῖρας. καὶ φαίνονται παρά τε τὴν σπληνῖτιν καὶ τὴν ἡπατῖτιν ἕτεραι ὀλίγον ἐλάττους, ἃς ἀποσχῶσιν, ὅταν τι ὑπὸ τὸ δέρμα λυπῇ· ἂν δέ τι καὶ περὶ

est, eum in colli lateribus binas tantum venas novisse. Ceterum cf. *Arist.* h. a. 3, 3, 8. *μία δ' ἑτέρα ἀφ' ἑκατέρου τοῦ τόπου τοῦ περὶ τὰ ὦτα ἐπὶ τὸν ἐγκέφαλον τείνει καὶ σχίζεται εἰς πολλὰ καὶ λεπτὰ φλεβία εἰς τὴν καλουμένην μήνιγγα τὴν περὶ τὸ ἐγκέφαλον.* Fortasse Diogenes viderat *torcular Herophili*, ad quod omnia referenda sunt.

καὶ αὗται τείνουσι διὰ τῶν σφαγῶν εἴσω] *αὗται* sunt istae utrimque in collo apparentes venae praeter magnam. *ἑκατέρωθεν* dixerat, unde quisque statim de duobus cogitat, ita ut nunc *αὗται* numero plurali dicere ei liceat. Vult igitur hoc: *exiguas istas in interiore capite venas colligi plerasque in utramque sive carotida internam sive venam iugularem, atque has per iugula descendere intro.* Quae si recte interpretati sumus, iam dubitari nequit, quin *εἴσω* significet: *in pectus.*

καὶ ἀπ' αὐτῶν ἑκατέρας — καὶ εἰς τὰς χεῖρας] sc. *αἱ τείνουσαι ὑπὸ τ. ὠμ. καὶ εἰς τ. χεῖρ.* *Ab his*, dicit, *utrimque omnes venae, quae scapulam subeunt et in manus pertinent, originem habent; tum vero etiam eae, quae in mammas tendunt.* Venae enim iugulares ubi cum vena cava et aorta iunguntur, cuius utriusque ex mente Diogenis cursum continuant, venas subclavias emittunt, quae sub axillas progressae *axillarium* nomine appellantur. Ab his vero *scapulas subeunt* (*ὑπὸ τὴν ὠμοπλάτην*) *venae subscapulares*, compluresque aliae minoris amplitudinis; itemque ab iis in brachia tendit, de qua supra egerat, utraque *basilica*, splenitis et hepatitis. Sed *praeterea etiam* (*παρὰ τὴν σπληνῖτιν καὶ ἡπατῖτιν*) aliae venae in brachium pertinent, ab his venis axillaribus *diversae* (*ἕτεραι*), quas non accuratius describit. Puto equidem, eum dicere *cephalicam utramque*, quanquam haec basilicae magnitudinem fere exaequat. Sed mirum esset, si eam ignorasset, quum plerumque pelluceat. Inferiores tamen eius ramos, quibus ad manus pertendit, non satis a basilica distinxisse videtur, dum modo recte fecimus, quod supra hanc huius partem ad basilicam traximus. Nam quum ambae hae venae tum mediana tum plurimis venulis subcutaneis inter se cohaereant, facile hoc fieri potuit. Cf. *Arist.* h. a. 3, 3, 7, qui aperte de vena cephalica loquitur, quanquam aliter eius viam describit: *πάλιν δ' ἐντεῦθεν εἰς τέτταρας σχίζονται φλέβας, ὧν μία μὲν ἐπανακάμψασα καταβαίνει διὰ τοῦ τραχήλου καὶ τοῦ ὤμου, καὶ συμβάλλει τῇ προτέρᾳ ἀποσχίσει τῆς φλεβὸς κατὰ τὴν τοῦ βραχίονος καμπήν. τὸ δ' ἕτερον μόριον* (h. e. altera huius venae hoc loco divisae pars; altera enim *τῇ προτέρᾳ ἀποσχίσει τῆς φλεβὸς* sese iunxerat.) *εἰς τὰς χεῖρας τελευτᾷ καὶ τοὺς δακτύλους.*

ἃς ἀποσχῶσιν cet.] In lectione constituenda *Schneid.* secutus sum, quem vide.

ὅταν τι ὑπὸ τὸ δέρμα — καὶ σπληνῖτιν] Ex eo, quod addit, *περὶ τὴν κοιλίαν*, apparet, eum loqui de morbis, quorum sedes in exterioribus corporis partibus et quasi in superficie sit, neque vero in intestinis. De re ipsa mihi quidem non accuratius constat. Sed cf. lib. d. *Morbis* int. *Hippocr.* s. V. p. 17. *Foës.*, ubi hepatitis vel splenitis in *pleumonia* et *pleuritide* secari iuben-

τὴν κοιλίαν, τὴν ἡπατίτιν καὶ σπληνίτιν. Τείνουσι δὲ καὶ ὑπὸ τοὺς μαστοὺς ἀπὸ τούτων ἕτεραι. ἕτεραι δ' εἰσὶν αἱ ἀπὸ ἑκατέρας τείνουσαι διὰ τοῦ νωτιαίου μυελοῦ εἰς τοὺς ὄρχεις λεπταί. ἕτεραι δ' ὑπὸ τὸ δέρμα καὶ διὰ τῆς σαρκὸς τείνουσιν εἰς τοὺς νεφροὺς καὶ τελευτῶσιν εἰς τοὺς ὄρχεις τοῖς ἀνδράσι, ταῖς

tur. τούτου συμφέρει τὴν φλέβα ἀποσχάσαι τὴν ἐν τῇ χειρί, τὴν σπληνίτιν καλεομένην ἢ τὴν ἡπατίτιν, καθ' ὁποτέρην ἂν εἴη τὸ νούσημα. *Ib. d. ration. vict. in morb. acut.* s. IV. p. 67. Quum quis repente voce defecerit, φλεβοτομέειν μὲν οὖν χρὴ τὸν βραχίονα τὸν δεξιὸν τὴν εἴσω φλέβα.

τείνουσι δὲ καὶ ὑπὸ τοὺς μαστοὺς ἀπὸ τούτων ἕτεραι] Neque vero in brachium tantum venae tendunt ἀπὸ τούτων, *sed in mammas etiam*. Dicit haud dubie *venas mammarias* et *thoracicas*. Fortasse etiam huc traxit *venas et arterias pulmonales*, quanquam magno errore. *Polybus* certe eosdem ramos per pulmones in mammas transire censet. hist. an. 8, 2, 9. τὸ δὲ τρίτον ζεῦγος ἐκ τῶν κροτάφων διὰ τοῦ αὐχένος ὑπὸ τὰς ὠμοπλάτας εἰς τὸν πνεύμονα ἀφικνοῦνται, αἱ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν εἰς τὰ ἀριστερὰ ὑπὸ τὸν μαστὸν καὶ ἧπαρ καὶ εἰς τὸν νεφρόν. Cf. ibid. §. 3. *Syennes:* ἐκ τοῦ ὀμφαλοῦ περὶ τὴν ὀσφὺν διὰ τοῦ νώτου παρὰ τὸν πνεύμονα ὑπὸ τοὺς μαστούς.

ἕτεραι δ' εἰσὶν αἱ ἀπὸ ἑκατέρας τείνουσαι — λεπταί] Sequitur enarratio earum venarum, quae in testes pertinent. Vena enim subclavia praeterea emittit, sive ex nostrorum medicorum ratione, excipit *venam vertebralem*, quae per foramina processuum transversorum vertebrarum colli in cerebrum pertinet, et, praeterquam quod plures venulas, extrinsecus vertebris colli circumiectas, recipit, secum coniunctas etiam habet tenuibus ramulis *venas spinales*, quae ipsam medullam spinalem complexae una cum arteriis spinalibus totam spinae dorsi longitudinem peragrant admodum *tenues* (λεπταί). Has ex imis vertebris progressas in testes pertendere fingit Diogenes. Nam *venas spinales* eum dicere, quisque videt. *Vertebralem* an cognoverit, dubitari potest; sed res eadem manet. Videtur autem vulgaris fere inter veteres medicos fuisse opinio, semen e capite maxime per spinam dorsi in testes perduci, quamvis eius viam non uno modo omnes describant. Cf. *Hippocr.* d. Genitur. s. III, 11, 43. Foës. χωρέει γὰρ τὸ πλεῖστον τοῦ γόνου ἀπὸ τῆς κεφαλῆς παρὰ τὰ οὔατα εἰς τὸν νωτιαῖον μυελόν.

ἕτεραι δ' ὑπὸ τὸ δέρμα καὶ διὰ τῆς σαρκὸς — ὑστέρας] *Aliae*, inquit, quae eaedem in genitalia penetrant, *non, ut illae, per spinam dorsi descendunt, sed sub cute et per carnes primo in renes sese immergunt, tum vero hinc egressae viam suam apud viros in testes, apud foeminas in uterum conficiunt.* Harum vero quum originem non indicet, eandem fere atque earum omnium, quae in proxime antecedentibus verbis descripserat, esse puto. Deinde quod dicit, eas sub cute et per carnes progredi, id ad *dorsum* referre non dubito, partim quod earum fons, qui quidem esse videtur, ad hanc corporis partem situs est, partim quod per renes eas penetrare narrat. Sed quasnam prae ceteris h. l. venas dixerit, difficile dictu est. Nullae certe amplioris ambitus in dorso conspiciuntur. Quare videntur hae venae communi illi errori originem suam debere, ex quo veteres physiologi, uti dictum est, semen e capite derivabant; nam canalibus opus erat, quibus in genitalia deduceretur. In-

[illegible] αἱ δὲ φλέβες αἱ [illegible] εἰσιν, [illegible] ἕως ἂν μετα- [illegible] καὶ [illegible]

[illegible]

τιδες καλοῦνται. τὸ δὲ αἷμα τὸ μὲν παχύτατον ὑπὸ τῶν σαρκῶν ἐγγίγνεται· ὑπερβάλλον δὲ εἰς τοὺς τόπους τούτους, λεπτὸν καὶ θερμὸν καὶ ἀφρῶδες γίγνεται.

respondent, ut vel inde similem earum naturam fuisse coniicias.

αὗται δὲ σπερματίτιδες καλοῦνται] Iam reprehendit locum de venis spermaticis, transitum sibi parans ad ea, quae de sanguine eiusque praecipue in seminis naturam transmutatione dicenda habuit. *Hae vero*, inquit, de quibus modo locuti sumus, et in quas haec etiam omnia cadunt, *spermaticae venae appellantur.*

τὸ δὲ αἷμα τὸ μὲν παχύτατον ὑπὸ τῶν σαρκῶν ἐγγίγνεται — καὶ ἀφρῶδες γίγνεται] „Vulgatum ὑπὸ τῶν σαρκωδῶν ἐκκίνεται ex Canis. Med. Rhen. vers. Thom. correxi. Vulgatum Gaza reddit: *a carne ebibitur*, Scotus et Albertus: *sanguis spissus grossus imbibitur et sugitur a carne.*" *Schneid.*, qui idem paullo inferius sic pergit: „difficile omnino est, inquit, in enarratione tam erronea, ipso iam Aristotele confitente, veram auctoris scripturam coniectura assequi: id quod praecipue de ordine et numero vasorum sanguiferorum et de ortu et qualitate sanguinis valet. Quanquam in membro postremo vulgatum ἐκκίνεται mihi magis placet, alterum propter optimorum librorum auctoritatem tantam recepi." Ac recte quidem recepit. Nam si scribas ἐκκίνεται, semper difficultates remanent. Spissisimus, dicit, sanguis a carne ebibitur; quum vero devenerit in hos locos — sed quisnam? An sanguis spississimus? — At epotus est a carne. An tenuior factus carnis haustu? atiam λεπτός est, ut vix perspicias, quo modo nunc demum λεπτὸς fiat. Unde ἐκκίνεται si retineas, etiam corrigendum erit: τὸ δ' ὑπερβάλλον, i. e. reliquus sanguis qui devenit. Sed ipsa membrorum oppositio ἐγγίγνεται postulare videtur. Etenim dicit hoc: *sanguis autem spississimus sub carne in venis gignitur*, in ipso earum, puta, sub carnem et cutem itinere. *Quum vero in hos locos pervenerit spissus ille sanguis, tenuis fit et calidus et spumosus.* εἰς τοὺς τόπους τούτους, i. e. εἰς τὰς σπερματίτιδας. Manifeste enim agit de sanguine sensim in seminis naturam in ipsis his vasis transeunte.

ὑπερβάλλον δὲ εἰς τ. τοπ. τούτ.] Praegnanter; postquam *superavit* carnem, cursus sui quasi impedimentum, *et devenit* in hos locos. De re ipsa cf. *Arist.* h. a. 3, 1, 7. ὁ μὲν οὖν προσκαθήμενος πόρος ἔτι αἱματώδες ἔχει τὸ ὑγρόν, ἧττον μέντοι τῶν ἄνω τῶν ἐκ τῆς ἀορτῆς. ἐν δὲ τοῖς ἐπανακάμπτουσιν εἰς τὸν καυλὸν τὸν ἐν τῷ αἰδοίῳ λευκή ἐστιν ἡ ὑγρότης. Ceterum Diogenis de seminis comparatione opinio non tam ex ipsa rei natura petita videtur, quam ex philosophica eius doctrina, qua calidam et spumosam seminis naturam maximam ad procreandum foetum habere vim arbitrabatur. Per se autem intelligitur, non subito sanguinem et uno quasi impetu, sed sensim et per gradus ei visum esse converti: unde facile huius rei expositio intelligitur. Quod vero dicit, sanguinem crassissimum sub carne venis innasci, id e carnosis in sanguine fibris collegisse mihi videtur. *Arist.* d. part. anim. 2, 4. Sed quo modo haec fieri animo cogitaverit, quum ipse taceat, nec res loquatur ipsa, incertum. Absolvit *Arist.* hunc locum ita: Συνέννεσις μὲν οὖν καὶ Διογένης οὕτως εἰρήκασι.

δὲ γυναιξὶν εἰς τὰς ὑστέρας. αἱ δὲ φλέβες αἱ μὲν πρῶται ἐκ τῆς κοιλίας εὐρύτεραί εἰσιν, ἔπειτα λεπτότεραι γίγνονται, ἕως ἂν μεταβάλλωσιν ἐκ τῶν δεξιῶν εἰς τὰ ἀριστερὰ καὶ ἐκ τούτων εἰς τὰ δεξιά· αὗται δὲ σπερματί–

de a renibus autem non dubium est, quin *venas spermaticas*, a nostris etiam appellatas, significet. Eae enim re vera e *vena cava inferiore* paullo infra renes, saepissime vero etiam ab ipsis venis renalibus viris in testes, foeminis in ovaria tendunt, vulgarisque inter veteres erat opinio, eas per ipsos pertinere renes. Vid. *Syennesin* ap. Ar. l. l. *ἡ μὲν ἐκ τοῦ δεξιοῦ εἰς τὸ ἀριστερόν, ἡ δὲ ἐκ τοῦ ἀριστεροῦ εἰς τὸ δεξιόν. ἡ μὲν οὖν ἐκ τοῦ ἀριστεροῦ διὰ τοῦ ἥκατος εἰς τὸν νεφρὸν καὶ εἰς τὸν ὄρχιν, ἡ δ' ἐκ τοῦ δεξιοῦ εἰς τὸν σπλῆνα καὶ νεφρὸν καὶ ὄρχιν· ἐντεῦθεν δὲ εἰς τὸ αἰδοῖον.* *Polyb.* ap. Arist. l. l. §. 9. *ἄμφω δὲ τελευτῶσιν εἰς τὸν ὄρχιν*, si lectio sana. *Schneid.* enim in versione h.l.: „*ano*, meliores codd.", ut scribendum videatur *ἀρχόν*. *Arist.* 3, 4, 5. *ἐκ μέσου δὲ τῶν νεφρῶν ἑκατέρου φλὲψ κοίλη καὶ νευρώδης ἐξήρτηται τείνουσα παρ' αὐτὴν τὴν ῥάχιν διὰ τῶν φλεβῶν. εἶτα εἰς ἑκάτερον τὸ ἰσχίον ἀφανίζεται ἑκατέρα πρῶτον, εἶτα δῆλαι γίγνονται πάλιν διατεταμέναι πρὸς τὸ ἰσχίον. Καθάπτουσι δὲ πρὸς τὴν κύστιν καὶ τὸ αἰδοῖον τὰ πέρατα αὐτῶν ἐν τοῖς ἄῤῥεσιν, ἐν δὲ ταῖς θηλείαις πρὸς τὰς ὑστέρας. τείνει δ' ἀπὸ μὲν τῆς μεγάλης φλεβὸς οὐδεμία εἰς τὰς ὑστέρας, ἀπὸ δὲ τῆς ἀορτῆς πολλαὶ καὶ πυκναί.* cf. 3, 1, 7. *τείνουσιν ἐκ τῆς ἀορτῆς πόροι φλεβικοὶ μέχρι τῆς κεφαλῆς ἑκατέρου τοῦ ὄρχεως, καὶ ἄλλοι ἀπὸ τῶν νεφρῶν δύο.* *Hipp.* d. Genit., qui secus atque alii e medulla spinali in renes pertinere semen arbitrabatur: *ἐπὴν δὲ ἔλθῃ ἐς τοῦτον τὸν μυελὸν ἡ γόνη, χωρέει παρὰ τοὺς νεφρούς.* Praeterea memorandum, Diogenem in venis quoque spermaticis iterum decussationem aliquam statuisse videri, ut e sequenti sententia colligi potest.

αἱ δὲ φλέβες αἱ μὲν πρῶται — εἰς τὰ δεξιά] Continent haec verba sententiam generalem. Totius enim orationis facies demonstrat, haec non tam de certis quibusdam venis dicta esse, quam de communi omnium venarum natura. Unde mihi quidem Diogenes toti de venis disputationi finem his imposuisse videtur. *Venae vero*, inquit, *in universum spectatae* (*αἱ φλέβες*) *quum primum e thoracc et ventre* h. e. ex aorta et vena cava *proveniunt*, (iungenda enim sunt verba: *αἱ πρῶται ἐκ τῆς κοιλίας.*) *ampliores sunt; deinde vero* (*ἔπειτα*, cui ad sententiam oppositum est: *αἱ πρῶται*, le itime omisso *δέ*) *tenuiores fiunt*, *donec cursum suum commutent a dextra ad sinistram*, *indeque ad dextram* h. e. donec ad itineris sui finem pervenerint. Usque igitur angustiores fiunt. Hoc enim Diogenes sibi voluisse videtur, omnes omnino venas, quum amplius progredi non possint, tenuibus ramulis suis inflecti a dextra ad sinistram et a sinistra ad dextram, atque hoc modo finiri. Id in capitis venis supra iam exposuerat; atque hoc idem in manibus pedibusque suis quisque videre potest. Quod vero talem decussationem in venis quoque spermaticis posui, plura me moverunt. Primo enim id, quod in universum de venis praedicat, ad has etiam referatur, necesse est, idque eo maiore iure, quum statim, hac sententia proposita, ad easdem revertatur; deinde *Syennesis* et *Polybi* loci supra appositi ostendunt, communem fere hanc rationem antiquissimorum physiologorum fuisse; denique hae venae quodam modo iis, quae in capite sunt,

τιδες καλοῦνται. τὸ δὲ αἷμα τὸ μὲν παχύτατον ὑπὸ τῶν σαρκῶν ἐγγίγνεται· ὑπερβάλλον δὲ εἰς τοὺς τόπους τούτους, λεπτὸν καὶ θερμὸν καὶ ἀφρῶδες γίγνεται.

respondent, ut vel inde similem earum naturam fuisse coniicias.

αὗται δὲ σπερματίτιδες καλοῦνται] Iam reprehendit locum de venis spermaticis, transitum sibi parans ad ea, quae de sanguine eiusque praecipue in seminis naturam transmutatione dicenda habuit. *Hae vero*, inquit, de quibus modo locuti sumus, et in quas haec etiam omnia cadunt, *spermaticae venae appellantur.*

τὸ δὲ αἷμα τὸ μὲν παχύτατον ὑπὸ τῶν σαρκῶν ἐγγίγνεται — καὶ ἀφρῶδες γίγνεται] „Vulgatum ὑπὸ τῶν σαρκωδῶν ἐκπίνεται ex Canis. Med. Rhen. vers. Thom. correxi. Vulgatum Gaza reddit: *a carne ebibitur*, Scotus et Albertus: *sanguis spissus grossus imbibitur et sugitur a carne.*" *Schneid.*, qui idem paullo inferius sic pergit: „difficile omnino est, inquit, in enarratione tam erronea, ipso iam Aristotele confitente, veram auctoris scripturam coniectura assequi: id quod praecipue de ordine et numero vasorum sanguiferorum et de ortu et qualitate sanguinis valet. Quanquam in membro postremo vulgatum ἐκπίνεται mihi magis placet, alterum propter optimorum librorum auctoritatem tantam recepi." Ac recte quidem recepit. Nam si scribas ἐκπίνεται, semper difficultates remanent. Spississimus, dicit, sanguis a carne ebibitur; quum vero devenerit in hos locos — sed quisnam? An sanguis spississimus? — At epotus est a carne. An tenuior factus carnis haustu? at iam λεπτός est, ut vix perspicias, quo modo nunc demum λεπτός fiat. Unde ἐκπίνεται si retineas, etiam corrigendum erit: τὸ δ' ὑπερβάλλον, i. e. reliquus sanguis qui devenit. Sed ipsa membrorum oppositio ἐγγίγνεται postulare videtur. Etenim dicit hoc: *sanguis autem spississimus sub carne in venis gignitur*, in ipso earum, puta, sub carnem et cutem itinere. *Quum vero in hos locos pervenerit spissus ille sanguis*, *tenuis fit et calidus et spumosus.* εἰς τοὺς τόπους τούτους, i. e. εἰς τὰς σπερματίτιδας. Manifeste enim agit de sanguine sensim in seminis naturam in ipsis his vasis transeunte.

ὑπερβάλλον δὲ εἰς τ. τοπ. τούτ.] Praegnanter; postquam *superavit* carnem, cursus sui quasi impedimentum, et *devenit* in hos locos. De re ipsa cf. *Arist.* h. a. 3, 1, 7. ὁ μὲν οὖν προσκαθήμενος πόρος ἔτι αἱματώδες ἔχει τὸ ὑγρόν, ἧττον μέντοι τῶν ἄνω τῶν ἐκ τῆς ἀορτῆς. ἐν δὲ τοῖς ἐπανακάμπτουσιν εἰς τὸν καυλὸν τὸν ἐν τῷ αἰδοίῳ λευκή ἐστιν ἡ ὑγρότης. Ceterum Diogenis de seminis comparatione opinio non tam ex ipsa rei natura petita videtur, quam ex philosophica eius doctrina, qua calidam et spumosam seminis naturam maximam ad procreandum foetum habere vim arbitrabatur. Per se autem intelligitur, non subito sanguinem et uno quasi impetu, sed sensim et per gradus ei visum esse converti: unde facile huius rei expositio intelligitur. Quod vero dicit, sanguinem crassissimum sub carne venis innasci, id e carnosis in sanguine fibris collegisse mihi videtur. *Arist.* d. part. anim. 2, 4. Sed quo modo haec fieri animo cogitaverit, quum ipse taceat, nec res loquatur ipsa, incertum. Absolvit *Arist.* hunc locum ita: Συέννεσις μὲν οὖν καὶ Διογένης οὕτως εἰρήκασι.

Cap. 49. Exposita venarum per corpus distributione ad *sensuum*, quos vocant, causas explicandas Diogenes transiisse videtur. Nam quum sensus omnes, quos vel oculis, vel naribus, vel lingua, vel auribus, vel digitis denique ceterisque plurimis corporis partibus percipimus, in aëre rationali, venarum ope ad ista loca pertinente, oriri censeret: haud prius eum, quam loco de venis pertractato, ad hanc rem accuratius persequendam devenire potuisse, intelligitur. Nobis autem nihil, nisi frustula quaedam huius disputationis servata sunt in libro de plac. phil., in quibus illustrandis, quo breviora sunt et quo magis difficultatibus plena, eo diligentiore elaborandum est cura, ut veram de his rebus Diogenis sententiam assequamur. Ac primo quidem de *gustu* dicamus, quoniam ea, quae ad hunc pertinent, aliquanto fusius exposita sunt. Placit. IV, 18. *περὶ γεύσεως* p. 456 ed. *Hutt.* *Διογένης, τῇ ἀραιότητι τῆς γλώττης καὶ τῇ μαλακότητι καὶ διὰ τὸ συνάπτειν τὰς ἀπὸ τοῦ σώματος εἰς αὐτὴν φλέβας, διαχεῖσθαι τοὺς χυλοὺς ἑλκομένους ἐπὶ τὴν αἴσθησιν καὶ τὸ ἡγεμονικόν, καθάπερ ἀπὸ σπογγίας* [1]. Solum ex his Diogenes gustus instrumentum habuisse videtur linguam, cuius, quam dicit, *ἀραιότητα*, raritatem, in spongiosa eius natura multisque foraminibus et canaliculis scatente, qua *succulentas ciborum partes sugat ac trahat*, posuisse videtur. Quod si enim rigida ac solida eius natura sit, aegre id fieri posse, quivis videt. *In linguam autem pertinere*, ait, *venas, a reliquis per corpus diffusis huc tendentes atque cum illis connexas* (*τὰς ἀπὸ τοῦ σώματος φλέβας*). Quae res dubitari nequit, quin e Diogenis mente exposita sit. Licet enim harum venarum in universa ista venarum descriptione non meminerit, in earum tamen numero eas contineri, quas ex capite ipso provenire dicebat, manifestum est. Lingua igitur raritate sua ac mollitie ad spongiae instar succos ciborum sugit, quos

---

1) Idem habet *Galen.* 26. p. 48., ubi aperto errore legitur: *καὶ διακεῖσθαι τοὺς χυμοὺς ἑλκομένους εἰς τὴν αἴσθησιν.*

deinde venae, in ipsam pertinentes, excipiunt et diffundunt *ἐπὶ τὴν αἴσθησιν καὶ τὸ ἡγεμονικόν.* Sed hic paullulum subsistendum. Nam ut clare intelligantur extrema haec verba, paucis de *ἡγεμονικῷ*, quod dicit, agendum, praesertim quum non ab omni parte vera esse videantur, quae in Placitis de ea re Diogenes statuisse traditur.

Cap. 50. Diogenes enim *Placit.* IV, 5. p. 443. *Hutt.* *τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικὸν* posuisse narratur *ἐν τῇ ἀρτηριακῇ κοιλίᾳ τῆς καρδίας.* Prae omnibus ipsum *ἡγεμονικὸν* investigandum, quale sit. Videtur autem a Stoicis hoc nomen in philosophiam introductum esse, quo summam ac praestantissimam animi partem, *λογισμόν,* significarent, ad quam omnia reliqua animi quasi munera pertinere censebant. *Placit.* IV, 21. p. 459. *οἱ Στωϊκοί φασιν εἶναι τῆς ψυχῆς ἀνώτατον μέρος τὸ ἡγεμονικόν, τὸ ποιοῦν τὰς φαντασίας καὶ τὰς συγκαταθέσεις καὶ αἰσθήσεις καὶ ὁρμάς. καὶ τοῦτο λογισμὸν καλοῦσιν.* Ibid. c. 4. p. 443. cf. Diog. Laërt. VII, 159. ib. *Menag.* Hinc vero ii scriptores, qui variarum scholarum de singulis philosophiae locis placita colligerent ac peculiaribus libris perscriberent, hunc eundem *περὶ τοῦ ἡγεμονικοῦ τῆς ψυχῆς* locum in libros suos recepisse veterumque etiam physicorum de ea re sententias eruere studuisse videntur. Quod autem ad Diogenem attinet, de animalibus non solum, sed de ipsis etiam hominibus declarat, non eandem esse omnium animi facultatem et praestantiam, sed alios esse hebetiore ingenio, alios acutiore pro caloris ipsorum animis insiti sive abundantia sive defectu. Inter ipsas tamen eiusdem animi partes nullum plane praestantiae statuisse videtur discrimen, si quidem *ὅμως,* inquit, *πάντα τῷ αὐτῷ καὶ ζῇ καὶ ὁρᾷ καὶ ἀκούει καὶ τὴν ἄλλην νόησιν ἔχει ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ πάντα;* unde, animi partes a communi huius natura distinctas ne cogitatione quidem finxisse, patet, multoque minus diversis corporis locis separatas inter se ac dispositas putasse; sed ubicunque e Diogenis doctrina *νόησις* erat, ibi tota erat et indivisa, ita ut hoc quidem sensu *ἡγεμονικὸν τῆς*

ψυχῆς in eius philosophia locum omnino habeat nullum. Sed plures etiam difficultates oriuntur, si ad ipsum locum spectes, in quo Diogenes principalem istam animi vim collocasse traditur. Nam quam dicit Placitorum scriptor τὴν ἀρτηριακὴν κοιλίαν τῆς καρδίας, haud alium in corde sinum significat, quam *sinistrum cordis ventriculum*, vel, si cum Aristotele tres sinus in corde esse statuas, medium, in quem arteria tendit aorta. Loquitur enim haud dubie Placitorum scriptor ex sui temporis usu, quo iam arteriarum ac venarum diversitas vulgo nota esset. Quid enim, quaeso, hoc loco arteriam asperam dixerit, quam antiquiores solo ἀρτηρίας nomine appellare solebant? Atqui in notis ad fragm. VII commemoratum est, Diogenem eas tantum venas, quae in sinistram corporis partem pertinerent, ex aorta provenire statuisse: ex quo necessario sequeretur, hanc etiam solam rationis esse participem, dextram contra expertem. Quod nemo sanus, opinor, a Diogene dictum esse concedet. Sed res haec videtur fuisse. Diogenes aërem venis contineri dixit, atque hae quidem ex eius sententia sunt propria aëris in corpore receptacula, quibus quum ille excesserit, evenit mors (vid. c. 52.). Venas autem omnes, dextras a vena cava, sinistras ab aorta exire eum existimasse, utramque vero magno etiam ramo ad cor patere, ex fr. VII liquet. Item aërem, qui rationem contineat, extrinsecus in corpus recipi respirando, supra demonstratum est, et clarius etiam infra apparebit (cap. 75). Qua vero ratione aut via aër ille in venas penetret, relatum non est; sed quum omnes fere insequentes physiologi [1]) forami-

---

1) Ad solum *Aristot.* provoco: h. a. 1, 14, 2. ἔχει δὲ (cor) κοιλίας τρεῖς, ὥσπερ εἴρηται· μεγίστην μὲν τὴν ἐν τοῖς δεξιοῖς, ἐλαχίστην δὲ τὴν ἐν τοῖς ἀριστεροῖς, μέσην δὲ μεγέθει τὴν ἐν τοῖς ἀνὰ μέσον. καὶ εἰσὶν εἰς τὸν πνεύμονα τετρημέναι πᾶσαι ἀμφοτέρας δὲ ἔχει τὰς δύο μικρὰς καὶ εἰς τὸν πνεύμονα τετρημένας ἁπάσας. κατάδηλον δὲ κατὰ μίαν τῶν κοιλιῶν κάτωθεν ἐκ τῆς προςφύσεως. Et paullo infer. §. 3. φέρουσι δὲ καὶ εἰς τὸν πνεύμονα πόροι ἀπὸ τῆς καρδίας· .... οὐδεὶς δ' ἐστὶ κοινὸς πόρος, ἀλλὰ διὰ τὴν σύναψιν δέχονται τὸ πνεῦμα καὶ τῇ καρδίᾳ διαπέμπουσι. φέρει γὰρ ὁ μὲν εἰς τὸ δεξιὸν κοῖλον τῶν πόρων, ὁ δ' εἰς τὸ ἀριστερόν. Cf 3, 3, 3. De Respir. c. 15. fin. ὅμα δὲ καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν τῆς θερμότητος τῆς ἐν τῇ καρδίᾳ πορεύεται τὸ

na quaedam seu canales a pulmonibus in cor pertinere statuant, veri simile est, Diogenem quoque aliqua qualicunque ratione e pulmonibus derivasse aërem in cor, unde in venas profunderetur, primo in duas istas maximas, inde in reliquas. Quae quum ita sint, magnam semper in his locis aëris s. *νοήσεως* copiam collectam ipsi visam esse, probabile est, et quum, uti dictum est, hinc in reliquas corporis partes *νόησις* distribueretur, iure hic proprius et principalis *νοήσεως* fons habendus est et quodam modo animi *ἡγεμονικόν*, i. e. principatus. Quod vero in sola cordis *ἀρτηριακῇ κοιλίᾳ* principem aëris sedem posuit Placitorum scriptor, erroris causa fuisse videtur haec. Postquam enim venarum atque arteriarum diversa natura cognita est, arterias omnes aëre esse repletas, venas contra sanguine, creditum est. Vid. *Sprengel* h. med. p. 386. 364. 365. Quare quum multum aëris cordi inesse Diogenem statuere viderent, suam humani corporis cognitionem huic obtrudentes, arteriosum tantum cordis sinum dicere illum putabant, parum, ut solent hi scriptores, curantes venarum per corpus distributionem, qualis e Diogenis mente fuerit, quum ipsi ab aorta etiam ubicunque ramulos patere scirent. Omnino vero id, quod in *Plac.* est, animi sedem esse *ἐν τῇ ἀρτηριακῇ κοιλίᾳ τῆς καρδίας*, non tam ab ipso Diogene ita dictum fuisse, quam ex iis, quae dicebat, conclusum, apparet eo, quod addit, *ἥ τις ἐστὶ πνευματική*, quo quasi rationem reddere videtur, cur animo, qui quidem aërea natura sit, hanc sedem attribuerit. Sed redeamus ad *gustum*. Dixerat enim Diogenes, hunc sensum oriri, quum ciborum succi diffundantur *ἐπὶ τὴν αἴσθησιν καὶ τὸ ἡγεμονικόν*. Iam clarum est, quid hoc sibi velit. Dicta enim haec sunt ex ratione eorum, qui τὸ *ἡγεμονικὸν* praestantia ab aliis

---

πνεῦμα ῥᾳδίως. ibid. c. 16. *ὃν δὲ τρόπον ἡ καρδία τὴν σύντρησιν ἔχει πρὸς τὸν πνεύμονα, δεῖ θεωρεῖν ἔκ τε τῶν ἀνατεμνομένων καὶ ἐκ τῶν ἱστορίων τῶν περὶ τὰ ζῶα γεγραμμένων. καταψύξεως μὲν οὖν ὅλως ἡ τῶν ζώων δεῖται φύσις, διὰ τὴν ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς ψυχῆς ἐμπύρωσιν.* At ab hoc loco alienum est, quod habet *Michaël Ephes.* ad lib. de Resp. p. 164 b. *πῶς δὲ ἀπὸ τοῦ στόματος εἰς τὴν καρδίαν καὶ ὑπὸ τίνος ἕλκεται (ὁ ἀὴρ) οὔτε Ἀναξαγόρας οὔτε Διογένης λέγουσιν.*

animi partibus differre autumarent: ex quorum sententia tum demum sensus exsistunt, quum externi corporis appulsus usque ad ipsum ἡγεμονικὸν propagati sunt. Diogenem ipsum dixisse censeo ἐπὶ τὴν νόησιν, quod seriores hoc modo explicare voluerunt, quum ipsis νόησις altiorem tantum animi vim significet.

Cap. 51. Simili ratione *auditus* sensum censuit oriri. *Placit.* IV, 16 περὶ ἀκοῆς p. 455. Διογένης (sc. ἀκούειν ἡμᾶς) τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ ἀέρος ὑπὸ τῆς φωνῆς τυπτομένου καὶ κινουμένου [1]). In his aërem capite inclusum quod attinet, idem ille videtur, quem venis contineri putabat. Multas enim venas circa aurem confluere dixit, quarum haud dubie aliquas in ipsam aurem penetrare arbitrabatur. His igitur contentus aër, voce percussus ac motus, auditus sensu nos afficit. Unde edocemur, quod, ubi de gustu agebamus, minus clare apparebat, ex Diogenis sententia sensum cuiusque rei oriri aëris, ratione praediti, pulsu ac motu, pro sensuum varietate, puta, vario ac diverso. Atque ita physicum statuere decebat. Deinde vero si quaerimus, quo modo aër iste voce tangatur et percutiatur, omnino respondendum est, mature iam vocis causam in commoto aëre ad aures pertinente quaesitam fuisse a philosophis: quod de Anaxagora saltem certo constat. cf. *Schaubach.* Anax. p. 189. De reliquis sensibus quid Diogeni placuerit, non traditum; attamen si diligenter consideremus, quo modo horum explicaverit naturam, satis probabiliter coniectura assequi possumus, quid de illis statuerit. Sed mittamus haec, ne in re incerta immoremur.

Cap. 52. Ex hac sensuum expositione lucem praeterea accipiunt ea, quae de *somno* et *morte* docuerat teste *script. Placit.* V, 24. πῶς ὕπνος γίνεται ἢ θάνατος. p. 488. Διογένης, εἰ ἐπὶ πᾶν τὸ αἷμα διαχεόμενον πληρώσει μὲν τὰς φλέβας, τὸν δ' ἐν αὐταῖς περιεχόμενον ἀέρα ὤσει εἰς τὰ στέρνα καὶ τὴν ὑποκειμένην γαστέρα, ὕπνον

---

1) Idem habet *Galen.* XXVI. p. 47.

γεγενῆσθαι καὶ θερμότερον ὑπάρχειν τὸν θώρακα. ἐὰν δὲ ἅπαν τὸ ἀερῶδες ἐκ τῶν φλεβῶν ἐκλίπῃ, θάνατον τυγχάνειν. Somnum igitur fieri docet Diogenes, simul ac sanguis, undique diffusus, venas complevit, comprehensumque his aërem in pectus et ventrem compulit. In qua quidem re quod summum est, liquet: hoc enim in somno potissimum spectat, quod, dum somno tenemur, omni fere externarum rerum sensu destituti sumus; cuius rei causam inde repetit, quod tum quidem aër, νόησιν continens, in interiora corporis loca retrusus sit, quo difficile tantum a rebus externis ictus aliquis et appulsus ad eum perveniat. Minus tamen clara est ipsa ratio, qua haec fiant. Quaeritur enim, utrum quod dicit, aërem sanguine retrudi in pectus et ventrem, de maioribus istis venis, quae in his locis sunt, accipiendum sit, ita ut aër e venis exteriorum corporis partium huc compellatur; an, quoniam sanguinem undique (ἐπὶ πᾶν) diffundi venasque implere dicit, aërem e dormientium venis plane excedere, iisque aliquo quocunque modo relictis liberum per vacua pectoris ventrisque spatia vagari statuendum sit. Sed prior ratio unice vera est. Nam quum vigilantium venae et aëre et sanguine permixto impletae sint, necesse est, sanguinis copiam, dum aërem, prius venis comprehensum, penitus ex his expellit, eiusque expulsi locum complet, ita, ut omne iam venarum spatium sanguine obtineatur, dormitantibus mirum in modum augeri; expergiscentibus vero iterum minui: quod Diogenem statuisse, ne levissimum quidem vestigium est; nec facile omnino statuere potuit, quum praeter venas sanguinis receptacula in corpore deprehendantur nulla. Accedit, quod in iis, quae sequuntur, clare Diogenes docuisse traditur, mortem occupare eos, quorum e venis omnis aër excesserit, ut, dum vivimus, semper aliqua saltem aëris pars in venis relinquatur, necesse sit. Quod quum ita sit, scriptorem Placit. rem non satis accurate exposuisse censeo, eiusque locus ita potius interpretandus esse videtur, ut Diogenes somno capi animantia arbitratus sit, quum sanguis, ἐπὶ πᾶν i e. ἐπὶ πᾶν τὸ σῶμα, per omnes corporis partes diffusus,

venas impleverit, exteriores puta, quarum potissimum opera, quoniam eae prae ceteris a rebus externis pulsantur, sensus exsistunt; contentum vero in iis aërem in pectus et ventrem retruserit h. e. *εἰς τὸν θώρακα* (vid. quae continuo sequuntur;) sive *κοιλίαν* (cf. ad fr. VII) i. e. *εἰς τὰς μέγιστας φλέβας ἐν τῇ κοιλίᾳ:* quo facto *calidiorem* deprehendi *thoracem* dormientibus, quam vigilantibus, propterea quod iam omnis in eo conclusa tenetur *νόησις*, quae est aër calidus Ceterum cum hac Diogenis opinione conferri potest *Aristotelis* sententia, quanquam is rem contraria fere ratione exponit hist. animal. 3, 14, 4: *τοῖς δὲ καθεύδουσιν ἐν τοῖς ἐκτὸς μέρεσιν ἐλάττον γίγνεται τὸ αἷμα, ὥστε καὶ κεντούμενον μὴ ῥεῖν ὁμοίως.* Somnum deinde excepisse videtur in Diogenis libro *mors*, cuius causam in ipso aëris e venis excessu posuit: *ἐὰν δὲ ἅπαν τὸ ἀερῶδες ἐκ τῶν φλεβῶν ἐκλίπῃ, θάνατον τυγχάνειν.* Id enim quum accidit, simul omni sensu omnique vitali vi animantia destituta sunt.

Cap. 53. Hinc Diogenes ad animalia praecipue sese convertisse videtur. Nam quum in iis, quae hac tenus disputata sunt, de hominis maxime venis ageret — pendent enim omnia necessario quodam vinculo ex illa venarum descriptione, cuius ab initio de *hominis* venis sese acturum clare profitetur — his igitur disputatis restabat, ut item, in animalibus quaenam esset *νοήσεως* conditio, ostenderet. Qua in re inprimis in exponendis causis versatus fuisse videtur, cur, licet omnia uno eodemque aëre calidiore intelligentia essent animalia, eorum tamen animi non solum ab humanae mentis acie longe differrent, sed inter ipsa etiam infinita obtineret varietas. Cuius rei succinctam enarrationem nobis servavit *Placitor.* scriptor V, 20, *πόσα γένη ζώων καὶ εἰ πάντα αἰσθητὰ καὶ λογικά.* p. 485 ed. *Hutt.* *Διογένης μετέχειν μὲν αὐτὰ τοῦ νοητοῦ καὶ ἀέρος, διὰ δὲ τὸ τὰ μὲν πυκνότητι τὰ δὲ πλεονασμῷ τῆς ὑγρασίας μήτε διανοεῖσθαι μήτ' αἰσθάνεσθαι, προςφερῶς δ' αὐτὰ* [1]) *δια-*

---

1) *Schleierm.* vult p. 91. not. 2. *προςφερῶς δή.* Mihi lenissima medicina huius loci esse videtur aut delere *δέ*, aut mutare in *γέ*.

κεῖσθαι τοῖς μεμηνόσι, παρεπταικότος τοῦ ἡγεμονικοῦ. Priorem huius loci partem e fragmento VI petitam esse, cuilibet probabile videbitur, qui cum iis, quae modo e Placitis adscripsimus, comparaverit haec verba: καί ἐστι μηδὲ ἓν ὅ τι μὴ μετέχει τούτου· μετέχει δὲ οὐδὲ ἓν ὁμοίως τὸ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ, ἀλλὰ πολλοὶ τρόποι καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀέρος καὶ τῆς νοήσιος εἰσίν. Unde simul certum est, recte habere lectionem vulgatam τοῦ νοητοῦ καὶ ἀέρος, neque opus esse *Wyttenbachii* coniectura, alioquin ingeniosissima, νοητικοῦ ἀέρος. Hausta enim haud dubie haec verba sunt ex ultimis illis: αὐτοῦ τοῦ ἀέρος καὶ τῆς νοήσιος, quanquam ab hoc scriptore non satis intellecta esse videntur. Reliqua vero addidit ex aliis locis, quae interciderunt. Statuit autem ex his Diogenes, animalia νόησιν quidem participare; quam tamen eorum νόησιν si cum humana conferas, mente captis tantum aequiparari posse. Id huius loci clarum est; nec minus clara, quae sequuntur: παρεπταικότος τοῦ ἡγεμονικοῦ. Nam τὸ ἡγεμονικὸν est mens, νόησις, παραπταίειν autem: offendere in aliqua re, detrudi de recta via; inde maxime de iudicio mentis: peccare, errare, labi. Ideo igitur mente captis animalia similia esse autumat, quia eorum mens peccet sive erret, h. e. quia νόησις, ipsis concessa, eos externarum rerum appulsus, quibus sensus efficiuntur, non tales sentiat ac percipiat, quales veri sunt; unde accidat, ut rebus, sensu ipsa afficientibus, falsam a veraque earum natura alienam tribuant speciem: qua eadem re mente capti laborare solent. Fruuntur igitur sensu animalia, sed falluntur de vera rerum conditione sensus sui pravitate. Ex his vero intelligitur, nescio quem errorem inesse verbis: μήτε διανοεῖσθαι μήτε αἰσθάνεσθαι; quod magis etiam elucet, si memineris, tum hoc ipso loco iisdem illis animalibus νοητὸν tribui, tum fragm. VI diserte dictum esse, animalia et videre et audire reliquamque habere νόησιν. Neque porro quemquam esse arbitror, qui mente captos omni sensu atque intelligentia destitutos esse contendat. Quae quum ita sint, aut lectio depravata, aut, quod pro-

babilius, Diogenis verba ab iis, qui excerpebant, non satis intellecta sunt. Nam quod hanc lectionem defendere quis possit eo, quod dicat, falsum rerum sensum habere, re idem esse, ac nullum habere, unde recte animalia dicantur *μήτε διανοεῖσθαι μήτε αἰσθάνεσθαι*, sed quodam modo etiam *διανοεῖσθαι* et *αἰσθάνεσθαι*: eae argutiae sunt, quae in tam antiquo philosopho eoque non dialectico, sed physico, vix locum habent. Fortasse excidit vox *ὀρθῶς* aut similis quaedam, scriptumque erat: *ὀρθῶς μήτε διανοεῖσθαι μήτε αἰσθάνεσθαι*. Magis tamen arridet hoc. Commemoratum supra est, Placitorum locum, de quo agimus, e diversis iisque, ut videtur, plenioribus olim in Diogenis libro locis compositum videri: qua in re quam negligenter et incuriose versatus fuerit aut ipse Placitorum scriptor, aut alius, a quo ille sua desumpsit, liquido apparet e comparatione huius loci cum extremo fr. VI supra instituta. Sic autem fieri potuit, si Diogenem de variis animalium generibus egisse, aliaque *διανοεῖσθαι* i. e. ratione uti negasse ponas, alia etiam *αἰσθάνεσθαι*, ut ea, quae proprie de diversis dicta essent, in unum coniungeret auctor huius loci [1]). Quam sententiam minus miraberis, tum si incredibilem oscitantiam, qua seriores istos scriptores passim in libris suis componendis versatos esse videmus, animo reputaveris, tum ipsum adeo Aristotelem itidem alia animalium genera *αἰσθήσει*, alia *διανοίᾳ* destituta credidisse memineris. Sed utut statuis, omni sensu et cogitatione animalia e Diogenis sententia privata haberi nequeunt. In singulis autem animalibus magnam esse animorum disparilitatem, secundum quam alia ingenii facultatibus propius ad hominis praestantiam accedant, alia longius ab ea recedant, quum e fragm. VI colligi potest, ubi *ὅμοιον δέ*, inquit, *τοῦτο τὸ θερμὸν οὐδενὸς τῶν ζώων*

---

1) Cf. *Aristot.* d. Part. Anim. 4,5. p. 549. C. ed. *Du Vall.* *τὰ δὲ καλούμενα ὁλοθούρια καὶ οἱ πνεύμονες ἔτι δὲ καὶ ἕτερα τοιαῦτα ἐν τῇ θαλάττῃ μικρὸν διαφέρει τούτων, τῷ ἀπολελύσθαι. αἴσθησιν γὰρ οὐδεμίαν ἔχει.* Id. de Anim. 1, 7. *φαίνεται γὰρ τά τε φυτὰ ζῆν, οὐ μετέχοντα φορᾶς οὐδ' αἰσθήσεως, καὶ τῶν ζώων πολλὰ διάνοιαν οὐκ ἔχειν* cet.

ἐστιν, ἐπεὶ οὐδὲ τῶν ἀνθρώπων ἀλλήλοις· tum vero etiam ex hoc Placitorum loco, in quo istam animorum diversitatem in aliis e densitate aëris, in aliis ex abundantia humoris explicare conatur. Quod ut recte intelligamus, in memoriam revocemus oportet, quas potissimum fr. VI aëri qualitates inter sese oppositas innasci doceat Diogenes. Namque aërem esse, ait, tum *calidiorem et frigidiorem*; tum *sicciorem et humidiorem*; tum *incitatiore motu agitatum et stabiliorem*. In his vero, ut infra demonstrabitur, eae, quas primo loco posuit, sunt quasi cardinales aëris qualitates, e quibus pendent reliquae. Iam quum omnem animam natura sua calidiorem esse fragm. VI docuisset, contrariarum qualitatum contagione hanc eius naturam in peius mutari patet, idque eo magis, quo magis contrariae ψυχρότητος vis genuinum eius calorem superat ac perdit. Quum igitur duo maxime ψυχρότητος genera sint, alterum ὑγρασίᾳ conspicuum, alterum στασιμότητι sive πυκνότητι, in harum eminente et genuinam animi naturam debilitante vi omnem in animantibus pravitatis et hebetudinis posuit causam: quod quidem ipsum voluisse videtur Placitorum scriptor.

Cap. 54. Sequebatur, ut animorum variam conditionem Diogenes per singula animantium genera uberiore illustraret expositione, id demonstrans, quo modo a nobilioribus hominique propioribus ad ima et remotissima pedetentim et per gradus descenderent. Neque solum in animalibus vulgo creditis substitit, sed in ipsis etiam metallis et lapidibus extrema atque obscura vitae et νοήσεως vestigia persequebatur. Sed quum, ex eius opinione spiritu ducto animam in corpore oriri, tum vero sustentari, saepius dictum sit; prae omnibus ei demonstrandum erat, ea quoque animalia spiritum ducere, illo quae carere viderentur. Ex eo autem loco, ubi hoc agebat, ab Aristotele accepimus, qua ratione *pisces* et *ostreas*, quamvis aqua obtegantur, respirare tamen existimaverit Diogenes, quum ipsi Aristoteli haec animalia omni respiratione vacare viderentur. De respir. 2. Ἀναξαγόρας δὲ καὶ Διογένης πάντα (supple ex antec. τὰ ζῶα)

φάσκοντες ἀναπνεῖν περὶ τῶν ἰχθύων καὶ τῶν ὀστρείων λέγουσι, τίνα τρόπον ἀναπνέουσι . . . . . . Διογένης δὲ ὅταν ἀφῶσι τὸ ὕδωρ διὰ τῶν βραγχίων, ἐκ τοῦ περὶ τὸ στόμα περιεστῶτος ὕδατος ἕλκειν τῷ κενῷ τῷ ἐν στόματι τὸν ἀέρα, ὡς ἐνόντος ἐν τῷ ὕδατι ἀέρος. Quaeritur iam, quanam ratione pisces spiritum trahant. Aquae aëreas particulas immixtas esse Diogenes statuebat. Iam quum piscis aquam bronchiarum ope emittit ex ore, aër proxime adiacens, ut subtiliore et magis mobili natura, naturali quadam lege, ex qua nullum plane vacuum conceditur esse spatium, suapte vi prior, quam aqua, in os penetrat idque complet. Manifestum est autem, Diogenem os dicere non plane et absolute vacuum, sed vacuum aqua. Simul atque enim aqua excedere coepit ex ore, statim aër ex aqua ori circumfusa in eius locum succedere putandus est, ut optime iam rem explicare conatus est *Michaël Ephesius* [1]). Sic omnia plana videntur. Sed Aristoteles Diogenem reprehendit,

---

1) Ad libr. d. respir. p. 164 b. *Οὔτε Ἀναξαγόρας οὔτε Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης ἔλεγον κενὸν εἶναι καὶ τὰ αὐτὰ φθέγγονται περὶ ἀναπνοῆς, τοῦτο μόνον διαφέροντες, ὅτι ὁ μὲν Ἀναξαγόρας ἐν τῇ τοῦ ὕδατος διὰ τῶν βραγχίων ἀποσπάσει ἔλεγε γίνεσθαι τὸν ἀέρα, Διογένης δὲ οὐ τοῦτο. ἀλλ' εἶναι ἀεὶ ἐν τῷ ὕδατι ἐνεργείᾳ ἀέρα. λέγων δὲ ὁ Ἀναξαγόρας, ὅτι οἱ ἰχθύες ἀναπνέουσι, τὸν τρόπον, ὃν ἀναπνέουσιν οὗτοι, ἐξετίθει. οἱ ἰχθύες ἐναπολαμβάνοντες ὕδωρ, φησίν, ἐν τοῖς βραγχίοις, ἐν τῇ ἐκτάσει τῶν βραγχίων, ἐκπέμποντες δὲ αὐτὸ ἐν τῇ συστολῇ τῶν τοιούτων βραγχίων, ταράττεται καὶ ταραττόμενον ἐξαεροῦται, ἢ πᾶν ὅσον ἀφύσθη ἢ μέρος τι. οὗτος δὲ ὁ γεγονὼς ἀὴρ εὐθὺς εἰςέρχεται ἐν τῷ στόματι, ἵνα πληρώσῃ αὐτό. οὐ γαρ ἐστί τι κενόν. εἰ μὲν γὰρ ἦν κενόν, οὐκ ἂν συνέβαινε τοῦτο. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἔστι κενόν, ἀνάγκη εἰςέρχεσθαι τὸν ἀέρα ἅμα τῷ ἐξέρχεσθαι τὸ ὕδωρ, ἵνα ἀναπληροῖ τὸν τόπον, ἀφ' οὗ τὸ ὕδωρ ἐξέρχεται. περὶ ὧν, τῆς τε τοῦ ὕδατος καὶ τοῦ ἀέρος ἀντιπαραστάσεως, πῶς ἅμα γίνονται, εἴρηται ἐπὶ πλέον ἐν τῇ φυσικῇ ἀκροάσει, ὅτε ἤλεγχε τοὺς λέγοντας εἶναι κενόν. οὗτος δὲ εἰςερχόμενος ὁ ἀὴρ ἐν τῷ στόματι αὐτῶν ἕλκεται, καὶ οὕτως ἀναπνέουσι. πῶς δὲ ἀπὸ στόματος εἰς τὴν καρδίαν καὶ ὑπὸ τίνος ἕλκεται, οὔτε Ἀναξαγόρας οὔτε Διογένης λέγουσιν. ἀλλ' ὁ μὲν Ἀναξαγόρου λόγος οὗτος Διογένης δ' ἔφασκεν, ὅτι ἐπειδὴ ἐν τῷ ὕδατι ἀήρ ἐστιν ἐνεργείᾳ, δηλονότι ὅταν ἀφῶσιν οἱ ἰχθύες τὸ ὕδωρ, τὸ ἁπτόμενον κύκλῳ τοῦ στόματος αὐτῶν ὕδωρ ἔχει ἀέρα, ὃν ἕλκοντες τῷ κενῷ ἐν τῷ στόματι, ἀναπνέουσι. καὶ οὐ λέγει κενὸν ἁπλῶς τὸ στόμα. οὐ γὰρ ἔλεγε κενὸν ὅλως ὁ Διογένης, ἀλλὰ τῷ κενῷ, ἀντὶ τοῦ κενῷ ὄντι ὕδατος. ἐπειδὰν γὰρ ἐξέλθῃ τὸ ὕδωρ, κενόν ἐστιν ὕδατος. εἰ δὲ τοῦτο, ἀνάγκη εἰςιέναι ἀέρα, διὰ τὸ μὴ εἶναι κενόν.*

quod, quum alteram totius respirationis partem explicaverit, *εἰςπνοήν*, alteram explicare neglexerit, *ἐκπνοήν*. Et iure quidem, ut videtur [1]). Attamen excusationem habet in eo, quod non tam totius respirationis per se spectatae rationem reddere, quam ostendere volebat, quo pacto haec quoque animalia aërem ex aqua traherent, ut *νόησιν* ea participare appareret. Qua de causa mirum videri nequit, parum eum alteram respirationis partem, *ἐκπνοὴν* dico, curasse, quum nihil ea ad rem suam probandam facere videretur.

Cap. 55. Hoc igitur modo pisces anima praeditos esse, demonstrare conatus est Diogenes: cuius animae conditionem inferiorem haud dubie existimavit, quam in terrestribus animalibus. Id quum inde coniici liceat, quod ex aqua spiritum haec animalia haurire putabat; tum certum est eo, quod multo minorem aëris copiam pisces in se recipere posse statuit, quam terrestria animalia, si quidem in aërem ex aqua sublati moriuntur. *Aristoteles* quidem d. Respir. 3, ubi quaerit, cur pisces, libero aëris usui expositi, animam exhalent, hanc eius rei causam stultam vocat; sed magnopere vereor, ne eodem loco habendum sit, quod ipse pisces aëre

---

1) Idem *Michaël Ephes.* l. c. *ἐπειδὴ ἡ ἀναπνοὴ εἰς δύο διαιρεῖται, εἰς τὴν εἰςπνοὴν καὶ τὴν ἐκπνοήν, Ἀναξαγόρας δὲ καὶ Διογένης περὶ μόνης τῆς εἰςπνοῆς, πῶς γίνεται, τὰς αἰτίας ἐπειρῶντο ἀποδιδόναι, πρῶτον αἰτιᾶται αὐτοὺς λέγων, περὶ τοῦ ἡμίσεως μέρους τῆς ἀναπνοῆς λέγοντες, ἤτοι τῆς εἰςπνοῆς, διατὶ περὶ τοῦ λοιποῦ μέρους οὐκ εἶπον, ἀλλ' ἀφαιροῦσι, τουτέστι καταλιμπάνουσιν αὐτό. οὔτε οὖν λέγουσι περὶ ἐκπνοῆς, οὔτε ἐνδέχεται αὐτοὺς εἰπεῖν ἐξ ὧν λέγουσι. Μὴ λέγοντες γὰρ καλῶς περὶ τῆς εἰςπνοῆς, πῶς ἂν περὶ τῆς ἐκπνοῆς εἴποιεν; πρὸ δὲ τοῦ τὴν δόξαν αὐτῶν ἐλέγξαι, πρῶτον ἀναμιμνήσκει τὰ συμβαίνοντα ἡμῖν, λέγων . . . . ταῦτα ἀναμνήσας ἐλέγχει τὸ δόγμα, λέγων, ὥστε συμβαίνει ἅμα δέχεσθαι τὸ ὕδωρ κατὰ τὸ στόμα καὶ ἐκπνεῖν. ἔστι δὲ τὸ λεγόμενον δυνάμει, ἐπειδή, ὡς ἐκεῖνοι λέγουσιν, ἐξερχομένου τοῦ ὕδατος ἐκ τοῦ στόματος εἰςέρχεται ὁ ἀὴρ καὶ γίνεται ἡ εἰςπνοή. δηλονότι εἰςερχομένου τοῦ ὕδατος ἐν τῷ στόματι ὁ ἀὴρ ἐξελεύσεται καὶ γενήσεται ἡ ἐκπνοή. εἰ γὰρ τῇ τοῦ ὕδατος ἐξελεύσει εἰςέρχεται ὁ ἀὴρ καὶ γίνεται ἡ ἀναπνοή, ἀνάγκη, τῇ τοῦ ὕδατος εἰςελεύσει ἐξέρχεσθαι τὸν ἀέρα καὶ γίνεσθαι τὴν ἐκπνοήν. εἰ γὰρ τὸ ἐναντίον τῷ ἐναντίῳ, καὶ τὸ ἐναντίον τῷ ἐναντίῳ. εἰ δ' ἀνάγκη τοῦθ' οὕτως ἔχειν, ἀνάγκη ἀπαντῶντα ἐμποδίζειν θάτερον θατέρῳ. ἀνάγκη γὰρ ἐξερχόμενον τὸ ὕδωρ ἀπαντᾶν τὸν ἀέρα καὶ μὴ ἐᾶν εἰςέρχεσθαι. Καὶ πάλιν εἰςερχόμενον τὸ ὕδωρ ἀπαντᾶν τὸν ἀέρα καὶ μὴ ἐᾶν ἐξέρχεσθαι.*

vivere omnino negabat. Ἦν γὰρ λέγει Διογένης αἰτίαν, inquit, εὐήθης. φησὶ γάρ, ὅτι τὸν ἀέρα πολὺν ἕλκουσι λίαν ἐν τῷ ἀέρι, ἐν δὲ τῷ ὕδατι μέτριον. Porro autem si quaeras, quae tandem causa sit, cur pisces, quum nimis multum aëris trahunt, moriantur, ea non satis palna est. Fieri enim potuit, ut certum ad vivendum aëris modum requireret Diogenes pro varia animalium natura varioque iis insito calore, ut, quum nimium aërem haurirent, vitalis in ipsis vis nimis dissiparetur ac debilitaretur, in eaque ipsa re mortis causa iis posita esset; aut, quod probabilius est, vehementiore irruentis aëris impetu interna eorum natura aliquo modo laedi videbatur, unde mors eveniret. Sed haec in ambiguo reliquenda sunt. Quid de reliquis deinde animantibus docuerit Diogenes, aeque obscurum est, quam *plantisne* animam concesserit, nec ne. Quanquam de ea quidem re vix dubitari potest, quum in ipsis adeo rigidis metallorum massis aliquam saltem vegetam et animalem vim agnosceret omnesque fere physici plantas in animantium numero haberent.

Cap. 56. Res autem deduxit nos ad *lapides et metalla*, in quibus minima atque extrema vitae et νοήσεως signa deprehendisse sibi videbatur. Nam, ut saepe iam commemoravimus, metalla et magnetem lapidem respiratione quadam uti [1]) putavit, *Alexanderque Aphrodisiensis* argumenta retulit, quibus probare hoc tentabat. Quaest. natur. et morales Lib. II, 23. Διογένης τε ὁ Ἀπολλωνιάτης πάντα τὰ ἐλατά φησιν καὶ ἀφιέναι τινα ἰκμάδα ἀφ᾽ αὐτῶν πεφυκέναι καὶ ἕλκειν ἔξωθεν, τὰ μὲν πλείω τὰ δὲ ἐλάττω. πλείστην δὲ ἀφιέναι χαλκόν τε καὶ σίδηρον· οὗ σημεῖον τό τε ἀποκαίεσθαί τι καὶ ἀπαναλίσκεσθαι ἀπ᾽ αὐτῶν (ἐν πυρὶ, καὶ ἐὰν ὄξει καὶ ἐλαίῳ ἀλείφωνται, ἰοῦσθαι. Τοῦτο δὲ πάσχειν, ὅτι ἕλκει) [2]) τὴν ἰκμάδα τὸ

1) Vulgo inter veteres creditum fuisse videtur, vim istam, qua magnes, electrum, talia, alias res ad se trahunt et quasi alliciunt, in aliqua eorum respiratione et animali natura ponendam esse. Cf. *Aristot.* d. anim. 1, 2. *Timaeum Locr.* p. 388. Bekk. *Plin.* h. n. 34, 42. cet.

2) Orationis tenor ne interrumpatur, verba ἐν πυρὶ — ἕλκει, quae in

ὄξος. *Τὸ γὰρ [τὸ] πῦρ καίειν τὴν ἐν αὐτῷ ἰκμάδα, ἂν καίειν αὐτῷ· τὸ δὲ εἰςδυόμενον εἰς ἕκαστον ἕλκειν τε καὶ ἀναλίσκειν τὸ ἐν αὐτῷ ὑγρόν. Τοῦ σιδήρου ἕλκοντός τε καὶ πλεῖον ἀφιέντος ὑγρὸν τὴν λίθον οὖσαν ἀραιοτέραν τοῦ σιδήρου καὶ γεωδεστέραν πλεῖον ἕλκειν τὸ ὑγρὸν τὸ ἀπὸ τοῦ παρακειμένου ἀέρος ἢ ἀφιέναι. Τὸ μὲν οὖν συγγενὲς ἕλκουσαν ἐν αὐτῇ δέχεσθαι, τὸ δὲ μὴ συγγενὲς ἀπωθεῖν. εἶναι δὲ αὐτῇ συγγενῆ τὸν σίδηρον διὰ τὸ ἀπὸ τούτου ἕλκειν τε καὶ δέχεσθαι ἐν αὐτῇ· καὶ διὰ τῆς τούτου ἕλξεως καὶ τὸν σίδηρον ἐπισπᾶσθαι διὰ τὴν ἀθρόαν ἕλξιν τοῦ ἐν αὐτῷ ὑγροῦ. Μηκέτι δὲ τὸν σίδηρον ἕλκειν τὴν λίθον τῷ μήθ᾽ οὕτως εἶναι τὸν σίδηρον ἀραιόν, ὡς δέχεσθαι δύνασθαι ἀθρόαν τὴν ἀπ᾽ αὐτῆς ὑγρότητα.* Pauca ad hunc locum illustrandum addenda sunt. Ac primo quidem quod omnia metalla natura sua *ἰκμάδα* trahere atque emittere ait, aperte respirationem iis tribuit et animam; sed humidam illam ac deterioris notae. Est enim ipsorum spiritus *ἰκμάς* h. e. humidior aër, quem passim etiam appellat Alexander *τὸ ὑγρόν*. Omnium autem metallorum plurimum emittere narrat aes et ferrum: quam rem duobus argumentis probare conatur; altero, quod ubi igni exponuntur, magis omnino minui videntur haec metalla, quam cetera omnia; ignem enim natura sua humidum aërem, aere et ferro comprehensum, absumere et perdere. Altero utitur argumento, quod aes et ferrum, quum oleo aut aceto inficiantur, aerugine obducantur. Cuius rei causam hanc affert — non enim dubito, quin verba *τὸ δὲ εἰςδυόμενον* cet. ad acetum et oleum referenda sint — quod acetum et oleum natura ita comparata sint, ut in minuta metallorum spatia, aëre repleta, penetrent, atque inde humidum aërem vi sua trahant aut pellant, qui deinde aeruginis specie in

---

transscribendo Alexandri loco forte praetermiseram, ipse graece expressi ex Hieron. Bagolini Veronensis Patris et Jo. Baptistae filii Latina Alexandri interpretatione (Venet. ap. Hier. Scot. 1541.), quum nunc quidem Graeca ad manus non sint, unde lacunam suppleam. Sunt autem in versione haec: Cuius signum est, exuri et absumi aliquid ab eis „*in igne, et si aceto et oleo ipsa unguantur, aeruginari. Hoc autem pati, quia extrahit ex ipsis*“ humiditatem acetum.

superficie eorum deprehenditur. Tum, ut ex iis, quae exposita sunt, causas repetat, cur magnes lapis ferrum attrahat, demonstrare pergit. Ferrum, ait, trahere, uti reliqua metalla, ex aëre vapores, et *plus emittere*, quam trahere; lapidem contra, rariore et terrena magis natura, quam ferrum, *plus attrahere* humidi, quam emittere. Hoc primum est, quod ponit. Alterum hoc: lapidem id, quod sibi cognatum sit, trahere in seque recipere; quod non cognatum sit, repudiare. Sequitur tertium, quod ponit: lapidi cognatum esse ferrum. Sed in iis, quae sequuntur, vitium latere videtur: *διὰ τὸ ἀπὸ τούτου ἕλκειν τε καὶ δέχεσθαι ἐν αὐτῇ.* Quid enim? Quia lapis trahat et in se recipiat, quod sibi cognatum sit, lapidi cognatum esse ferrum, quia ab eo trahat aliquid et in se recipiat? Scilicet praeclara demonstratio! Tu fidenter scribe: *διὰ τοῦτο ἀπὸ* cet., ut iusta iam conclusio his verbis contineatur. Hinc, inquit, quod lapis ea tantum modo trahit, quae sibi cognata sunt; ferrum autem ipsi cognatum est; attrahit a ferro exeuntes vapores et in se recipit, propterque horum attractionem ipsum quoque ferrum simul attrahitur ob congregatam (*ἀθρόαν*) sive maiorem attractionem humidi, quod est in eo. Ferrum autem non item trahere lapidem, propterea quod ferrum non tam rarum est, ut possit recipere congregatam istam a lapide exeuntem humiditatem. Fac ferrum emittere verbi causa quatuor particulas vaporum, trahere duas; lapidem contra magis terrenum et rariorem emittere tres, trahere quinque, et videbis, quo pacto, ut lapis ferri vapores cum iisdemque simul et ipsum ferrum attrahat, necesse sit; ferrum contra nullo modo attrahere possit lapidem. Sic omnia clara videntur 1).

---

1) Alexander deinceps refutare laborat Diogenem his: *ἀλλ' εἰ τοῦτο, διατὶ μόνη ἡ λίθος ἕλκει τὸν σίδηρον, τῶν δὲ ἄλλων οὐδὲν τὸ συγγενές; οἷον χάλκος καὶ μόλιβδος. ἀφίησι γὰρ καὶ ταῦτα ὑγρὸν καὶ ἕλκει καὶ συγγενῆ τινα καὶ τούτοις ἐστίν, ὥσπερ καὶ τὸν σιδήρου ἡ λίθος. ἔτι διατὶ οὐκ ἄλλα τινὰ ἡ λίθος ἕλκει τῶν στερεῶν, ἃ ἀφίησι πλείονα ἰκμάδα, ὧν καὶ ὁ χαλκός ἐστιν. οὐ γὰρ διότι ἐμμένει τὰ ἑλκόμενα διὰ τὴν συμμετρίαν ἕπεται τὸ ἀφ' οὗπερ ῥεῖ τὸ ἑλκόμενον, ἀλλὰ διότι ἕλκεται. καὶ εὐλογώτερόν γε, ὧν μηδὲ ἐμμένει ἐν τῷ ἕλκοντι ἡ ἰκμάς, ἀλλὰ*

Cap. 57. Confecta de rationali principii natura disputatione, ad ea pergendum est, quae reliqui eorum temporum physiologi fere sola tractabant, ad rerum dico omnium e communi initio origines explicandas: quam quidem quaestionem in reliqua operis parte a Diogene tractatam fuisse, probabile est. Nam quum ea, quae exposita sunt, inde ab operis initio perpetuo quodam ordine ad hunc usque locum pertinere in singulis demonstratum sit, eaque diversa sint ab iis, de quibus iam acturus est, ut vel inde novam rerum seriem hinc exordiri credibile sit; clarum etiam huius rei documentum est apud *Galenum*, cuius e loco quodam, quem infra uberius illustrabimus, liquido apparet, Diogenem in secundo *περὶ φύσεως* libro de foetus in utero conformatione et motu egisse: quae res dubitari nequit, quin ad hunc rerum quasi complexum et ordinem referenda sit, qui uberius iam persequendus est.

Cap. 58. Notum est ex Aristotele eiusque interpretibus [1]), omnes physicos, qui aut aquam aut aërem principium statuerint, rerum generationem derivasse ex eius *μανώσει* et *πυκνώσει*. Quod quum in Diogenem cadere pateat, ab omnibus etiam nominatim ei tribuitur. *Simpl.* p. 6. a. e Theophrasto: *ἐξ οὗ (ἀέρος) πυκνουμένου καὶ μανουμένου καὶ μεταβάλλοντος τοῖς πάθεσι τὴν τῶν ἄλλων γίνεσθαι μόρφην.* *Diog. Laërt.* IX, 57. *τόν τε ἀέρα πυκνούμενον καὶ ἀραιούμενον γεννητικὸν εἶναι τῶν κοσμῶν.* *Euseb.* praep. ev. 17. ed. Lutet. *κοσμοποιεῖ δὲ οὕτως, ὅτι τοῦ παντὸς κινουμένου καὶ ᾗ μὲν ἀραίου ᾗ δὲ πυκνοῦ γενομένου* cet. [2]).

παραπέμπεται, ταῦτα μᾶλλον κινεῖσθαι. καὶ γὰρ πλεῖον ἀπὸ τούτων εἰκὸς ἕλκεσθαι τῷ τὸ ἑλκόμενον ἐν ἑαυτῷ μηδὲ πληρούμενον ὑπ' αὐτοῦ, ἀλλ' ὅμοιον μένειν, ἕλκειν cet.

1) *Aristot.* Metaph. 1, 4. Physic. 1, 7. *Simpl.* p. 32 b. *καὶ οὗτος μὲν εἷς τρόπος τῶν ἓν τὸ ὂν ὑποτιθεμένων, τῷ μανότητι καὶ πυκνότητι τὸ πλῆθος τῶν ὄντων ὑφιστάνειν. ἕτερος δὲ τρόπος καθ' ὃν οὐκέτι τὴν μεταβολὴν τῆς ὕλης αἰτιῶνται, οὐδὲ κατὰ ἀλλοίωσιν τοῦ ὑποκειμένου τὰς γενέσεις ἀποδιδόασιν, ἀλλὰ κατὰ ἔκκρισιν.*

2) Contra haec nullius momenti sunt, quae habet Simplicius p. 44 a.

Clarum igitur est, Diogenem aëris vel *πυκνώσει* vel *μανώσει* res factas esse statuisse.

Cap. 59. Quod quo melius intelligatur, diligentius exploranda sunt ea, quae ipse Diogenes de aëris natura praedicat. Ac primo quidem aërem dixit esse *πολύτροπον* i. e. vario modo mutabilem, addiditque, quo clarius, quid diceret, aperiret, hac ipsa mutabili natura sua esse tum calidiorem et frigidiorem, tum sicciorem et humidiorem, tum tardiorem et incitatiore motu agitatum, ad quae quum multas alias tum infinitas saporis et coloris accedere *ἑτεροιώσεις*. Sed sepositis nunc quidem his ultimis, — paullo inferius autem tractabimus, — in illas tantum modo *ἑτεροιώσεις* animum convertamus, quas nominatim Diogenes proposuit. In quibus omnium clarissime cernitur hoc, diversas eum, quas aër induat, dicere *qualitates inter sese contrarias atque oppositas* (*ἐναντιότητας*, *ἐναντιώσεις*, *ἐναντία πάθη*), quales omnes fere physicos, qui unum principium ponunt, ad res ex ipso procreandas adhibere videmus. Cf. *Arist.* phys. 1, 6. In his vero qualitatibus *summum ac principem locum* Diogeni *obtinuisse videntur* *ψυχρότης* et *θερμότης*, frigus et calor, quibus reliquae omnes subiectae sunt. Nam *ἅπασαι αἱ ἐναντιώσεις ἀνάγεσθαι δοκοῦσιν εἰς μίαν*, Aristotelis praeceptum est. Quamvis autem Dio-

---

οἱ μίαν φύσιν ὑποτιθέντες τοῖς ἐναντίοις, δι' ἣν ἓν τὸ πᾶν ἔλεγον, ἐκ ταύτης γεννῶσι τὰ πάντα. ὡς Θαλῆς μὲν ὕδωρ, Ἡράκλειτος δὲ πῦρ, Ἀναξιμένης δὲ ἀέρα, Διογένης δὲ τὸ μεταξύ. καὶ γὰρ οὗτοι πάντες τὴν μίαν ταύτην φύσιν τοῖς ἐναντίοις ὑπετίθεσαν, συγκρίσει καὶ διακρίσει ἢ μανώσει καὶ πυκνώσει τὰ ἄλλα γίνεσθαι λέγοντες ἀπ' αὐτῆς. Nam quod dicit *συγκρίσει καὶ διακρίσει* ad *μεταξὺ* spectare videtur, quod falso Diogeni adscribit; nisi fortasse iam nunc id animo eius obversatur, quod infra exponit, quodam modo *σύγκρισιν* et *διάκρισιν* non diversam esse a *πυκνώσει* et *μανώσει*, si quidem utraque in motu aliquo (*φορᾷ*) posita sit. p. 130 a. καὶ ὅπως οἱ μίαν τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ στοιχεῖον λέγοντες ὡς οἱ περὶ Θαλῆν καὶ Ἀναξιμένην καὶ Ἀναξίμανδρον καὶ Ἡράκλειτον φυσικοὶ καὶ οὗτοι, τὴν φορὰν πρώτην τῶν κινήσεων τίθενται. διὰ γὰρ πυκνώσεως καὶ μανώσεως τὰς γενέσεις καὶ φθορὰς ἀποδιδόασι. σύγκρισις δέ τις ἡ πύκνωσίς ἐστι καὶ διάκρισις ἡ μάνωσις. οἰκείως δὲ οἶμαι οἱ μὲν ἓν λέγοντες πύκνωσιν καὶ μάνωσιν ἐκάλεσαν τὰ περὶ αὐτὸ πάθη. οἱ δὲ πλείονα, σύγκρισιν καὶ διάκρισιν.

genes omnes res uno eodemque aëre constare statueret, adeo ut ipsa νόησις revera aërea et spirabilis habenda esset: rationalem tamen naturam a ceteris rebus prorsus diversam iisque quodam modo oppositam putasse, ex omnibus elucet ac singulis. Ut enim ad hoc unum provocem, in animantibus rationalem aërem per totum corpus venarum ope diffundi atque ita demum omnem νόησιν iis oriri, supra commemoratum est: quod ineptum fuisset statuere, si reliquae etiam corporis partes natura sua ratione praeditae fuissent sensumque habuissent. Sed ne multa, omnia, uti dictum est, ac singula tum in fragmentis tum in iis, quae ex aliis fontibus ad nos permanarunt, hoc idem docent. Quid? quod totam alteram universi aëris partem animatam ac ratione praeditam censuisse videtur. Iam quum propria animi vis in calore posita sit; genuina ceterarum rerum natura in aëris frigore necessario ponenda est: quo satis demonstratum esse videtur, *primas aëris qualitates esse θερμασίαν et ψύξιν.* Eodem autem ducit *Aristotelis* locus (d. gen. et corr. 1, 6) cap. 31 adscriptus, qui profecto non sine causa dixit: *οἷον τὸ θερμὸν ψύχεσθαι καὶ τοῦτο θερμαίνεσθαι πάλιν,* praesertim quum infinitivus verbi Diogenis sententiam his etiam continuari ostendat.

Cap. 60. Ex calore autem et frigore ceterae aëris qualitates, quas nominat, pendent omnes, arcta tum inter sese tum cum primis istis qualitatibus necessitudine coniunctae, ita ut duo quasi earum ordines oriantur, quorum alter calidiore natura, alter frigidiore comprehenditur. Sic, quod continuo affert, *ξηρότερον,* dubium non est, quin calidiori generi adiiciendum sit; contra *ὑγρότερον,* frigidiori. Solent enim veteres physiologi humorem cum frigore coniunctum cogitare, sicut siccitatem cum calore; humorisque praeterea cum frigidiore genere necessitudo inprimis clare cernitur in Diogenis sententia de animis animalium, quorum deteriorem humanaque inferiorem naturam ex humoris abundantia derivare conabatur, ut supra demonstratum est: quae res argumento est, *ὑγρασίαν*

genuino animi calori adversam et contrariam eum putasse, cum frigidiore ergo aëris parte connexam. Pergit *καὶ στασιμώτερος καὶ ὀξυτέρην κίνησιν ἔχων.* Quod si has qualitates cum reliquis conferamus, contrario ordine collocatas esse liquet. Pertinet enim stabilis natura ad frigidiorem partem; velocior contra ad calidiorem, quod inter omnes constat. Supersunt multae istae, quas dicit, aliae aëris qualitates, innumeraeque saporis (*ἡδονῆς*) et coloris, de quibus, quod probabile mihi videtur, dabo; nam certi quid in re incerta affirmare non audeo. Ad *colores* igitur quod attinet, huc referri licebit *τὸ λαμπρὸν καὶ τὸ ζοφερόν*, quae passim in harum qualitatum numero reperiuntur (ex gr. Anax. fr. 6.), videnturque physiologi clariores maxime ac splendore suo insignes colores in calida parte posuisse, obscuriores contra in frigidiore. Confirmantur haec *Empedoclis* versibus (ap. Arist. d. gen. et corr. 1, 1.) his:

Ἠέλιον μὲν λευκὸν ὁρᾶν καὶ θερμὸν ἁπάντῃ·
Ὄμβρον δ' ἐν πᾶσι δνοφόεντά τε ῥιγαλέον τε.

De *sapore* autem solum hoc habeo dicere, quod *τὸ γλυκὺ* etiam et *τὸ πικρὸν* in his qualitatibus referuntur, de quibus agimus. *Simplic.* ad phys. p. 33 b. *γλυκὺ γὰρ πικρὸν εἰ τύχοι ἐπὶ τῆς κατὰ στοιχεῖα ὑποθέσεως, οὐ πρῶτον ἐνυπάρχει τοῖς στοιχείοις, ἀλλὰ διὰ θερμότητος καὶ ψυχρότητος καὶ ξηρότητος καὶ ὑγρότητος.* *Plato* d. Legg. p. 897. (202. Bekk.) *καὶ τούτοις ἑπομένας θερμότητας, ψύξεις, βαρύτητας, κουφότητας, σκληρὸν καὶ μαλακόν, λευκὸν καὶ μέλαν, αὐστηρὸν καὶ γλυκύ.* cet. *Alexand.* Aphr. in Metaphys. p. 359: Quum in omni et quavis re omnia esse dicit Anaxagoras, *dulce*, *amarum*, album, nigrum et cetera cuncta .... nihil aliud dicit, quam contraria esse in eodem. Cf. quae infra de maris salsedine dicentur. *Aristot.* Meteor. 2, 2. *τὸ μὲν λεπτότατον καὶ γλυκύτατον.* ibid. *τὸ μὲν οὖν πότιμον καὶ γλυκὺ διὰ κουφότητα πᾶν ἀνάγεται, τὸ δὲ ἁλμυρὸν ὑπομένει διὰ βάρος οὐκ ἐν τῷ αὑτοῦ οἰκείῳ τόπῳ.* Ex his

locis probabiliter, opinor, dulce et quae id genus alia sunt, calidiori eique tenuiori generi assignabimus, amarum contra et salsum contrario. Reliquarum autem qualitatum aliquae saltem erui possunt ex iis, quae *Eusebius* de κοσμοποιΐᾳ Diogenis memoria prodidit; nam levissima quaeque superiora loca capessentia solem effecisse ait: ex quo cuilibet, qui veterum physicorum rationem noverit, clarum erit, Diogenem in aërem cadere etiam statuisse τὸ κουφότερον καὶ τὸ βαρύτερον, levitatem et gravitatem. Cf. *Arist.* d. Part. anim. 2, 1. p. 483. ed. *Du Vall.* ὑγρὸν γὰρ καὶ ξηρὸν καὶ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ὕλη τῶν συνθέτων σωμάτων ἐστίν. αἱ δ' ἄλλαι διαφοραὶ τούτοις ἀκολουθοῦσιν, οἷον βάρος καὶ κουφότης καὶ πυκνότης καὶ μανότης καὶ τραχύτης καὶ λειότης, καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα πάθη τῶν σωμάτων. Adiiciamus igitur calidiori parti *levitatem*, frigidiori *gravitatem*. Sed revertatur disputatio, unde egressa est. Iam enim non dubitabimus, his aëris qualitatibus adnumerare etiam *raritatem* ac *densitatem*, τὸ ἀραιότερον καὶ τὸ πυκνότερον, quae quidem ex supra allatis locis principales aëris qualitates esse videbantur. Verum non sunt; sed quicquid aëris calefit, id hac ipsa de causa et aridioris et mobilioris et rarioris et levioris naturae quodam modo particeps fit; contra vero, quicquid frigidiorem naturam induit, humidiorem simul, densiorem, stabiliorem, graviorem in sese recipit, ita ut singulae utriusque generis partes nusquam plane inter se disiunctae ac separatae sint; sed quae in re aliqua praevaleat cuiusque vis inter reliquas maxime emineat, huius naturam res prae se ferat. Quare recte observatum est a veteribus, ex aëre aut rarefecto aut concreto res generatas esse e Diogenis sententia, quanquam ipsum Diogenem rerum generationem ex aëris θερμασίᾳ potius et ψύξει derivasse, veri simile est. Res ipsa tamen ad idem recurrit [1]). Priusquam au-

1) *Ritter.* Ion. Ph. p. 58. Doch war ihm die Dünnheit gewiss auch

tem ad alia pergamus, iuvat, omnes qualitates, quas invenimus, in unum locum collectas proponere, earumque descriptionem et tabulam exhibere hanc:

θερμότερον	ψυχρότερον
ξηρότερον	ὑγρότερον
ἀραιότερον	πυκνότερον
κουφότερον	βαρύτερον
ὀξυτέραν κίνησιν ἔχον	στασιμώτερον
(λαμπρότερον	ζοφερώτερον)
(λευκότερον	μελάντερον)
(γλυκίον	πικρότερον).

Ad quas accedunt multae utrimque aliae.

Cap. 61. Restat, ut de difficultate aliqua dicatur, quae a quibusdam mota est. Nam quum Diogenes teste *Aristotele* (de Anim. 1, 2. vid. cap. 43.) aërem tenuissimum omnium rerum esse diceret; qui, quaeso, accidere poterat, ut idem in rerum generatione tenuior etiam fieret? At in memoriam revocemus opus est, quid tandem sit, quod Aristoteles dicat: unde clare apparebit, difficultatem istam plane esse nullam. Dicit enim, Diogenem pro subtilissimo corpore rerumque principio habuisse aërem, ex eaque ipsa re causam repetiisse, cur animus reliqua cognoscat ac moveat. Esse autem moventem animum, ait, qua tenus tenuissimus sit. In quibus luce clarius est, Aristotelem loqui de aëre νόησιν continente, quippe in quo omnis et intellectus et motus consistat, de calidiore igitur universi aëris parte; quae, quantumvis in se ipsa iterum tenuitate diversa sit, si cum frigida et humida conferatur eiusdemque aëris parte, ex qua ceterae

---

nichts anders, als die Wärme, wenn wir anders Verdünnung und Verdichtung als die von ihm angenommenen Verwandlungsweisen der Luft betrachten dürfen. Ceterum quod *Simpl.* dicit p. 44 b. καὶ οἱ μανότητι καὶ πυκνότητι τὰ ἄλλα γεννῶντες, τῷ ἐπιτείνειν ἣν ἔχει ποιότητα ἢ ἀνιέναι ποιοῦσιν. ἡ μὲν γὰρ μάνωσις ἄνεσις, ἡ δὲ πύκνωσις ἐπίτασις, quanquam Diogenes etiam ita dicere potuit, magis tamen ad Anaximenem spectare videtur. Cf. *Ritter*. p. 36.

res compositae sunt, optimo sane iure appellari non modo potuit, sed debuit subtilissima. Verum haec quoque e communi omnium rerum fonte, aëre, exorta est perinde ac reliqua omnia, idque genuini ac primi aëris *μανώσει*. Quare nihil hac re probari potest contra eos, qui *μανώσει* et *πυκνώσει* ex aëre res factas esse statuebant. Quum vero Diogenes de aëre in universum paucis tantum egisse ac statim ad principalia eius genera uberius describenda transiisse videatur, facile potuit fieri, ut nullam eo loco, unde haec Aristoteles hausit, aëris frigidioris rationem haberet, quem fortasse etiam proprio nomine *ἰκμάδα* vel simili vocabat. Ita autem haec omnis difficultas sublata videtur.

Cap. 62. Sed redeamus ad duo ista aëris genera, quae reperimus; pauca enim supersunt adiicienda. Primo enim cavendum, ne penitus ea inter sese seiuncta certisque finibus seclusa esse credamus; sed natura sua ita comparatae sunt hae qualitates, ut admodum vario modo in rebus inter se coniunctae, mixtae, confusae appareant, neque usquam certi earum termini aut limites deprehendantur. Sic aquam humidam eandemque saepe tepidam, imo fervidam esse videmus; lapides siccos eosdemque frigidos, multaque id genus alia: quanquam haec rerum conditio in ipso tantum alterius qualitatis in alteram transitu locum habere videtur. Contrariae enim qualitates non statim, ubi coniunguntur, se consumunt invicem ac perdunt, sed certantes quasi inter sese de principatu in eadem re haud raro aliquamdiu coniunctae et mixtae permanent, donec altera alteram superaverit. Qua ex causa mirum non videbitur, quod inter aërem calidissimum et frigidissimum pro maiore minoreve sive *θερμότητος* sive *ψυχρότητος* multitudine admixta plane innumerabilia aëris genera deprehendimus, quibus ipsis infinita rerum multitudo ac varietas efficitur. Quae quum ita sint, optime profecto egit Diogenes, quod fragmento VI in designandis istis qualitatibus comparativo, quem dicunt, gradu usus est, si quidem earum quamlibet non certis quibusdam

finibus circumscriptam, sed usque quaque patentem, quamvis contrariae semper oppositam, volebat. Omnes autem qualitates, de quibus egimus, in aërem cadunt ab eoque recipiuntur, quippe qui fato aliquo talem habeat naturam, quae propter *πολυτροπίαν* et *εὐαλλοίωσιν* omnium maxime ad hanc rem sit idonea. Est quasi medius inter utrasque aër, et ad utrasque in se recipiendas qualitates aeque aptus eaque ratione ad rerum universitatem procreandam sufficiens.

Cap. 63. Sed eo progressa est disputatio, ut iam nihil supersit, quam ut ipsius mundi origo et fabricatio, quales e Diogenis mente fuerit, exponatur, quantum id quidem in tanta testimoniorum paucitate fieri possit. Ut plerique omnes physici principium suum, ita aërem Diogenes nunquam ortum esse statuit, neque unquam interiturum, sed semper fuisse semperque futurum. Cf. Fr. III et V. Est enim *φυσικὸν ἀξίωμα λέγον· μήτε γίνεσθαί τι ἐκ τοῦ ἁπλῶς μὴ ὄντος, μήτε φθείρεσθαί τι εἰς τὸ ἁπλῶς μὴ ὄν*. *Simpl.* p. 56 a. Sed quum tempus veniret [1]), quo a fato constitutum esset [2]), ut res exorirentur, aër, sive quod nunquam omni vegeta ac vitali vi privatus erat, sive fati quadam necessitate impulsus, partim calescere, partim frigescere et reliquas, quas modo diximus, quasque alias, nobis ignotas, statuebat, qualitates assumere, atque ita certas rerum formas induere coepit [3]). Rem enim ita cogitandam

1) *Simpl.* ad phys. p. 106 a. *τὸ δὲ χρονικὴν δοκεῖν λέγεσθαι τὴν τῆς διακρίσεως ἀρχήν, σύνηθες ἦν τοῖς πάλαι φυσιολόγοις τε καὶ θεολόγοις, συγκαταβαίνουσι ἀσθενείᾳ τῆς ἡμετέρας νοήσεως. οὐ γὰρ δυνάμεθα τῇ ἀϊδίᾳ παρατάσει συμπαρατείνειν τὴν νόησιν.*

2) Quanquam non dixerim, Diogenem ipsum fusius de fato egisse; sumpsisse magis quam certis rationibus statuisse haec videtur. Cf. *Aristot.* phys. 2, 4.

3) *Ritter* Ion. Phil. p. 54. Dieser Philosoph scheint also den Grund der Entstehung endlicher Dinge dadurch aus der unendlichen Luft selbst abgeleitet zu haben, dass er dieser eine ursprüngliche Bewegung beilegte, durch welche sodann die Gegensätze und die Verschiedenheiten in den Dingen entstünden, indem auf der einen Seite die sich bewegende Luft dichter, auf der andern aber dünner würde.

esse quum ex iis elucet, quae huc usque disputata sunt, tum clarius etiam apparebit ex iis, quae deinceps dicentur.

Cap. 64. *Aristoteles* (Metaph. 1, 3. Vid. not. ad fr. II) Anaximenem et Diogenem in aëre simplicium maxime corporum posuisse originem profitetur. Quod si ad quatuor ista ab Empedocle inventa elementa, aërem, ignem, terram, aquam, referas, vix recte se habere posse, Rittero supra iam largiti sumus. Diogenes enim disertis verbis *innumeras* esse aëris ἑτεροιώσεις declarat fr. VI, quae, quo modo cum quatuor elementis congruant, difficile dictu est. Quare Aristotelem equidem dixisse arbitror ea fere corpora, quae ipse plerumque ὁμοιομερῆ appellat, passim vero etiam ἁπλᾶ σώματα (velut d. part. animal. 2, 1. p. 484. *Du Vall.* alib.): quod ex ea ratione, qua Diogenes qualitatum istarum ad aërem accessu rerum origines explicabat, elucere videtur. Etenim aër, simul ac qualitatem aliquam ostenderit, immutatus est, reique factae speciem prae se fert et naturam. Verum non omnis aër ad extremos mutationis terminos pervenisse putandus est: quod si factum est, totus mundus partim frigidissimis rebus constaret, partim calidissimis; ex quo magnam aëris partem in mediis quasi qualitatum illarum gradibus substitisse patet. Hos tamen medios qualitatum gradus quatuor elementis contineri vel inde parum credibile est, quod, quum aër ipse in eorum numero haberi nequeat, in altera parte duo, aqua et terra, in altera contra solus ignis ponendus sit: quod sane incommodum est, neque ullo in omnibus, quae de Diogenis philosophia relata sunt, vestigio confirmatur? Quid? quod ea, quae *Censorinus* (d. die nat. VI) Diogenem docuisse narrat de foetus in utero matris conformatione, statim ad singula rerum genera eum perrexisse, Empedocleaque elementa in rerum generatione ut principales quasdam aëris immutati formas, e quibus inter se coniunctis et mixtis reliquae res effectae sint, plane neglexisse, tam clare ostendunt, ut omnis disceptatio sublata esse videatur. Censorinus enim Diogenem ex humore primo ait carnem fieri existimasse; tum ex carne ossa nervosque et ceteras partes enasci: quo in loco nulla neque aquae neque terrae neque ignis

denique mentio. Quae quum ita sint, probabili coniectura assequi posse mihi videor, qualem fere Diogenes simplicium corporum generationem constituerit. Nam primum frigidi generis rationem si habeamus, simul atque aër frigescere coepit, recepisse etiam videtur et humiditatis et stabilitatis ceterarumque affinium qualitatum primum gradum, ita ut res, ex ea aëris immutatione oriens, proxime ad genuini aëris naturam accederet. Cuius deinde pars, continuata eodem modo immutatione, magis etiam recedit a primi gradus levi adhuc et mobili tenuitate; pars contra eius naturam servat integram et incorruptam, donec, dum ab altera parte usque progreditur mutatio, ab altera semper aliquid incolume relinquitur, simplicium corporum multitudo exorta esset. Namque ut ad foetus exemplum a Censorino propositum revertamur, non omnem humorem in carne, neque omnem carnem in ossibus et nervis formandis consumtum esse liquet; sed sua cuique pars relicta et conservata est. Unde simpliciorum corporum seriem constituere possumus hanc: aëre oritur sanguis, ex quo semen, ex quo caro, ex qua nervi, unde denique ossa. Similique ratione reliqua tractasse videtur Diogenes, nullum neque aquae, neque terrae, neque igni praecipuum tribuens honorem. Cui sententiae magnum accedit probabilitatis momentum ab Anaximene, quem haec omnia in rerum generatione non alio loco habuisse videmus, quam quo ventum, nubes, lapides. (*Simpl.* p. 32 a.) Sed quum coniecturis displiceat indulgere, cetera mittamus, quae probabiliter de hac re dici possint.

Cap. 65. Ad alteram deinde aëris partem quod attinet, pari ratione generatio facta esse videtur. Aër enim calescens, ipsoque calore aridior, mobilior, tenuior, levior redditus, aucta semper harum qualitatum vi, eo tandem pervenit, ut igne flagraret. Atque ita quidem primo loco varia νοήσεως genera exorta, cuius quicquid humana anima calidius esset, fortasse daemonibus tribuit et diis, dum modo accuratius de his agebat; quicquid autem aëris crescente caloris vi inflammabatur, igneam atque aetheream effecit naturam: eandem enim utramque habuisse videtur.

Talem autem fuisse igneae naturae in Diogenis philosophia originem et conditionem, apparet, nec video equidem, quid in ea re obscurum sit. Sed fuerunt [1]), qui, quum omnes physicos in eo consentire viderent, quod ignem omnium rerum subtilissimam haberent, an idem Diogeni dicere licuisset, dubitarent, si quidem aëris ille naturam tenuissimam esse affirmaret. Sed quantumvis haec inter se pugnare videntur, re tamen accuratius considerata, omnis evanescit controversia. Nemo enim unquam inficiabitur, qui Diogenis doctrinam noverit, pariter ipsum ac reliquos omnes physiologos ignem pro subtilissima habuisse natura: quam tamen cum primo aëre rerumque principio comparari omnino nefas est. Decet enim per se spectare Diogenis aërem, quum praeter ipsum sit nihil: quod si fit, aequo iure tenuissimum dici potest et densissimum. Quare ubi Diogenes aërem tenuissimum esse dicit, de aëris iam aliqua tenus immutati parte loquitur, quam alteri eidemque densiori conferat; ut supra etiam demonstratum est, solum calidiorem aërem ab ipso appellatum esse tenuissimum. Ignis igitur Diogeni nihil erat aliud, quam subtilissimus et calidissimus aër.

Cap. 66. Quibus ita expositis effectum esse videtur, ex aëre primum moto variasque in sese qualitates recipiente facta esse simplicia quaedam corpora. Neque tamen haec simplicia corpora statim, ubi exorta erant, certis spatiis inter se distincta ac separata; fuisse censendum est, sed nullo ordine nullisque definitis locis disiecta hic illic promiscue ferebantur. Verum *νόησις*, una cum reliquis exorta, simul ac facta erat, vim suam explicare coepit: quiescentem enim *νόησιν* et quasi torpentem statuere, vix rectae rationi consentaneum minimeque physiologi esse videtur. Atqui quum ea sit *νοήσεως* natura, ut quacunque pertineat in omnibusque insit: vix exorta ad reliqua omnia simplicia corpora, ut quidque eorum fiebat, accessit, in iisque imperium suum coepit

---

1) *Ritter* Ion. Phil. p. 55. *Bayle* Dict. s. v. Diog.

exercere. Praecipuum autem eius officium fuisse videtur, ut *aërem modo immutatum impelleret*, *ut moveretur*. Namque *Aristoteles* (de anima 1, 2) animam Diogeni motus fuisse causam asseverat. Videtur autem Diogenes in rebus conformandis duplici aliquo motu usus fuisse, qui *νοήσει* effectus esset: altero, quo omnes res orbe agitarentur; altero, quo graviora deorsum, leviora sursum ferrentur. Atque hic quidem satis clare significatus ab *Eusebio* est; illius contra non nisi vestigia apparent. Eusebius (praep. evang. 17. ed. Lutet.) autem: *κοσμοποιεῖ,* inquit, *οὕτως, ὅτι τοῦ παντὸς κινουμένου, ᾗ μὲν ἀραίου ᾗ δὲ πυκνοῦ γινομένου, ὅπου συνεκύρησε τὸ πυκνὸν συστροφὴν ποιῆσαι, καὶ οὕτω τὰ λοιπά.*[1]) *κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον τὰ κουφότατα τὴν ἄνω τάξιν λαβόντα τὸν ἥλιον ἀποτελέσαι·* i. e. quum *τὸ πᾶν* sive aër infinitus moveretur, et partim rarior fieret partim densior, *ubi densiora concurrerent*, conglobata esse: unde reliqua exorta. Eademque ratione *levissima quaeque superiora loca occupantia* solem constituisse. Ex his quum Diogenes levissima sursum lata esse dicat; graviora ac densiora mediam mundi partem petiisse, statuerit necesse est, ut supra commemoratum est; atque hic haud dubie est locus, ubi illa concurrerint inter sese et concursu suo terram cum omnibus rebus, quae in ipsa sunt, procreaverint. Minime igitur probabile est, Diogenem in inferioribus tantum locis aërem condensatum esse, statuisse; imo dubitari nequit, quin aër ex eius sententia, ubi primum immutaretur, promiscue aliis in locis densior in aliis rarior exstiterit, atque hoc demum motu, de quo agimus, quaeque ipsius particula in suum proprium locum concesserit. Denique vix idonea causa excogitari possit, cur etiam nunc leviora corpora, velut aër et ignis, aquae, terrae aliisque gravioribus et densioribus rebus immixtae deprehendantur, lapides vero in aëre retineantur, nisi aut a primo rerum

---

1) Ita haud dubie hic locus interpungendus est. Vulgo uno tenore: *καὶ οὕτω τὰ λοιπὰ κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον.*

ortu ibi remanserint aut in istis etiam mundi locis nasci possint.

Cap. 67. Deinde quibus vestigiis adductus sim, ut orbicularem etiam motum Diogeni tribuam, haec fere sunt. Primo enim sol, luna, sidera initio iam gyro ferebantur circa polum (vid. c. 74.), eumque motum haud dubie aetheri atque aëri, quippe natura sua omnium maxime mobilibus, debebant. Nam quum initio confusa et inter se mixta essent omnia; eo quidem tempore omnes res maiore aetheris atque aëris vi correptas et in orbem agitatas fuisse, verisimile est. Tum ad eundem motum circularem spectare videtur, quod terram conformatam esse dicebat Diogenes κατὰ τὴν ἐκ τοῦ θερμοῦ περιφοράν, quam quidem περιφορὰν nisi ad talem motum circularem referas, vix invenias, quo commode referri possit. (Vid. cap. 70.) Similem motum circularem Anaxagoram statuisse, nota res est: cuius omnino de mundo condendo sententia non tam diversa est a Diogenis ratione, quam primo adspectu videtur. Uterque enim simpliciora quaedam corpora esse posuit, e quibus singulae res orirentur, in eoque maxime utriusque sententiae diversitas posita est, quod Anaxagoras quidem ab aeterno tempore ea fuisse talia, qualia sunt, semperque manere dictitabat; Diogenes contra omnia ex aëre non solum, quasi communi eorum fonte, derivabat, sed quovis etiam tempore inter sese *transformari posse* contendebat; vel, ut aliis verbis idem dicam, quam Anaxagoras statuit materiam, ea rerum semina continebat ἐνεργείᾳ, quam vero Diogenes, δυνάμει. Sed ut ad motum istum circularem revertar, uterque eum in suam doctrinam transtulisse videtur ex Leucippi philosophia, qui primus tum in philosophiam hanc rem introduxerat. Quae si recte exposita sunt, talis fere apud Diogenem mundi ortus cogitandus esse videtur. Simul ac res simplices aëre aut condensato aut rarefacto nata erant, νόησις eas impulit, ut gyro moverentur. Quo autem quaeque earum tenuior ac levior erat, eo maiore celeritate ferebatur; quo densior et gravior, eo tardius procedebat. Hinc factum est, ut disparium corporum particulae inter sese divellerentur ac se-

cernerentur, ita ut quaeque earum convenientem naturae suae locum petere posset, superiorem leviora, graviora inferiorem. Ubicunque autem accidebat, ut maior moles leviorum corporum minorem graviorum multitudinem cingeret, maiore haec illorum vi abrepta prohibebantur, quo minus naturam suam sequerentur in inferioraque loca deciderent: unde passim graviores adeo massae aëre sublimes circumaguntur. Neque ab altera parte fieri potuit, quin hic illic leviores particulae maiore graviorum multitudine et vi superatae deorsum traherentur eorumque concretione a sublimioribus intercluderentur regionibus: quae causa est, cur postea etiam terra et aqua aërem, ignem eiusdemque generis alia complectatur. Iam vero quum ipsa rerum densitas natura sua liberam movendi facultatem impediat; quo magis densiorum rerum inter se concurrentium moles augebatur, eo tardiorem earum fuisse motum, intelligitur, usque dum in ipso medio mundi consisterent, terramque constituerent. Coelum vero, levioribus ac subtilioribus particulis constans, etiam nunc orbe circumagi pergit, quum nihil sit, quo eius motus impediatur. Atque haec quidem sunt, quae probabiliter de hac re dici posse videntur.

Cap. 68. Quibus tamen motibus tantum abest, ut omnium ac singularum rerum conformatio perfecta et absoluta sit, ut ipsorum ope prima tantum universi mundi fundamenta iacta esse videantur. Aliae insuper causae, aliae vires in partes vocandae erant, quibus singulae res, moderante ratione, in fines suos cogerentur, alienis partibus liberarentur, forma ac figura ornarentur, verbo, absolutam naturae suae perfectionem nanciscerentur. Quid erat autem aliud, quod eum, qui omnium rerum aëream esse naturam ponebat, in hac re adhibere magis decebat, quam omnis generis spiritus variorumque humorum exhalationes? Ac re vera Diogenem his rebus usum videmus in terra fingenda sideribusque si non conformandis, at certe nutriendis. Nam quum *Aristoteles* Meteorol. 2, 1. *οἱ δὲ σοφώτεροι*, inquiat, *τὴν ἀνθρωπίνην σοφίαν* (physicos dicit;) *ποιοῦσιν αὐτῆς* (*θαλάττης*) *γένεσιν*·

εἶναι τὸ πρῶτον ὑγρὸν ἅπαντα τὸν περὶ τὴν γῆν τόπον, ὑπὸ δὲ τοῦ ἡλίου ξηραινόμενον τὸ μὲν διατμίσαν πνεύματα καὶ τροφὰς ἡλίου καὶ σελήνης φασὶ ποιεῖν· τὸ δὲ λειφθὲν θάλατταν εἶναι· διὸ καὶ ἐλάττω γίνεσθαι ξηραινομένην οἴονται καὶ τέλος ἔσεσθαί ποτε πᾶσαν ξηράν: *Alexander Aphrodisiensis*, gravissimum auctorem secutus *Theophrastum*, ad Anaximandrum maxime et Diogenem haec omnia pertinere profitetur. Sed ipsa eius verba apponam (ed. lat. Venet. MDXL ap. Hieron. Scotum. Interpret. Alex. Piccolomineo. p. 17. a): „Horum quidem enim alii reliquium primae humiditatis asserunt esse mare. Quum enim humidus existat prius locus omnis, qui circa terram est, quod primo ex humido ipso a sole elevatur atque evaporat, ex hoc utique fiunt spiritus.“ Subdit autem „„et versiones solis et lunae““ [1]), quum propter vapores ipsos atque exhalationes, ac etiam propter solis et lunae versiones, a quibus causatur, huius modi illic suppeditatio fit, ubi vertuntur. Quicquid vero in concavis locis de ipso humido relictum permanet, illud utique vocatur mare. Qua propter quum propter ipsum solem undique exarescat, et minus fieri dicunt semper et tandem aliquando penitus siccum fore. *Huius autem opinionis fuerunt, (ut narrat Theophrastus,) Anaximander et Diogenes.*“ Verum ne quis extremam tantum modo huius loci sententiam, mare aliquando penitus exsiccatum iri, ad Diogenem pertinere opinetur, alium Alexandri locum adiiciam, ubi reliqua etiam haud obscure tribuit Diogeni (p. 19. a): „Insuper idem accidit inconveniens, tum his, qui dicunt, id quod a sole ex aqua educitur, eius alimentum fieri, *tum etiam et dicentibus, primo humida exeunte terra ac toto mundo, qui circa ipsum est: calefactum humidum ab ipso sole, aëris constantiam fecisse: quin etiam et totum coelum propter factam humidi segregationem a sole augmentatum esse, et hoc* (intelligit autem per

1) Sequitur Alexander pessimam in Aristotelis loco supra adscripto lectionem τροπὰς pro τροφάς, quod unice probandum esse apparet e cap. 2.

„hoc“ vel aërem vel solem potius) *spiritus et ventos exhibuisse et versiones eius facere*[1]), videlicet aut aëris aut solis. *Huius vero praedictae opinionis fuerunt Anaximander et Diogenes.*“ Sed operae pretium videtur, accuratius inquirere in totam hanc rem.

Cap. 69. Videmus autem in his eam rerum conditionem oculis nostris propositam, qualem fere post primum materiae motum fuisse ex Eusebio constat. Collecta est rudis terrae condendae materia circa mediam partem mundi, itemque leviora sursum elata solis molem constituerunt, aeque eam inconditam adhuc et rudem, ut videtur, ac terram. Ingens enim humidi aëris vis non solum universum terrae ambitum complectebatur vicinaque loca obtinebat; sed ipsae etiam terrenae particulae multo undique humore mixtae erant ac perfusae. Erat igitur eo tempore terra limosa quaedam et informis massa, sed mollitie sua ad quamcunque formam induendam idonea; mox tamen accedente solis calore nimia humorum multitudine liberata atque ad certam figuram conformata est. Utcunque enim solis ipsius vis adhuc impedita fuerit et fracta, tantum tamen exiens ab ipso calor invaluit, ut humorum, terrae incumbentium, pars, eius opera extenuata paullatim ac fusa, ad coelum sublimis ferretur, pars aëris adderetur complexui, pars denique, quae liquefactis et sublatis subtilioribus particulis remaneret, in excavatis terrae locis colligeretur marique praeberet originem, cuius salsum atque amarum saporem ex spissitudine humoris, qui, eductis tenuioribus iisque dulcibus particulis, relinqueretur, derivabat Diogenes [2]). (Cf. cap. 60.) Quae dum fiunt, certam simul terrena massa figuram stabilemque firmitatem nanciscitur: quod clare apparebit, si cum iis, quae modo ex Aristotele et

---

1) Causam conversionis solis paullo supra ponit in eo, „quoniam eadem semper loca exhibere illi alimentum non possint.“

2) *Alexandr. Aphr.* I, 1: Diogenes vero et salsedinis ipsius hanc dicit esse causam: „quoniam, quum sol dulce ipsum educat atque extrahat, salsum esse accidit, quod relinquitur.“

Alexandro Aphrodisiensi prolata sunt, comparaveris *Diogenem Laërtium*, qui itidem refert, quae Apolloniatae nostro de terrae originibus placuerint. *Τὴν γῆν*, ait (IX, 57), *στρογγύλην, ἐρηρεισμένην ἐν τῷ μέσῳ, τὴν σύστασιν εἰληφυῖαν κατὰ τὴν ἐκ τοῦ θερμοῦ περιφορὰν καὶ πῆξιν ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ.*

Cap. 70. Ac primo quidem quod terram in media mundi sede locatam esse ait, id uberiore expositione non eget, quanquam, quas huius rei causas statuerit Diogenes, utrum aërem, terrae moli subiacentem eamque suffulcientem, an, quod magis placet, quia terrenae particulae, circa ipsum medium mundum collectae, convenientem naturae suae locum adeptae sint aliumque non amplius appetierint, non satis clarum est. Pergit Diogenes Laertius: *τὴν σύστασιν εἰληφυῖαν κατὰ τὴν ἐκ τοῦ θερμοῦ περιφοράν*, paullo obscurius. Sed *σύστασιν λαμβάνειν* haud dubie idem est, quod *συνίστασθαι* (vid. not. ad fr. II), h. e. figurari, conformari, eaque voce in iis fere utuntur philosophi, ubi de certa rerum conformatione loquuntur, quae apta primorum seminum coniunctione efficitur. Quae quidem interpretatio huic loco, de quo agimus, unice convenire videtur, si quidem nec de ortu terrenarum particularum, unde terra, qualis nunc est, sit facta, accipi potest; dudum enim ortae erant; nec de earundem concretione, utpote quam frigori deberi diserte affirmet Diogenes Laërtius; ita ut praeter ipsam terrae figuram nihil reliquum sit, quo *σύστασιν* istam referas. Verbis deinde: *κατὰ τὴν ἐκ τοῦ θερμοῦ περιφορὰν* *Ritterus* (G. d. Ion. Philos. p. 64. not. 46.) *τὸ περιέχον*, calido aëre constans, significatum putat. Quod quum verebar equidem, ut satis recte ita dici posset; de alia explicatione cogitare coepi. Atque humidos vapores, quibus terra ab initio quasi sepulta iaceret, caloris vi desuper incidente calefactos esse et attenuatos, supra demonstratum est. Sed quum calidae naturae ex Diogenis sententia proprium esset, ut non solum ipsa moveretur, sed aliis etiam rebus motum praeberet: vapores illos, terrae

circumfusos, qua tenus concalescerent, ea tenus esse motos, et quo eorum quique magis incalescerent, tanto velociore motu esse agitatos, intelligitur. Et gyro quidem haud dubie tum circa terram ferebantur. Parum enim credibile est, alium motum ceteris rebus indidisse solem, quam quo ipse natura sua movebatur; solis autem et universi prope modum coeli proprius est modus circularis, uti omnes quotidie videmus. Haec autem est, quam quaerimus, *περιφορὰ ἐκ τοῦ θερμοῦ* i. e. tepefactorum humorum circumactio [1], profecta illa e calida natura, qua mollis eo tempore et tractabilis terrae materia figuraretur atque effingeretur.

Cap. 71. Sed nova dubitatio oritur de ipsa *terrae figura*, quam illa circumactione nacta sit, si quidem, quod Diogenes Laërtius *στρογγύλην* fuisse ait, vario modo explicari potest. Nam quum *Plato* (Phaedon. §. 106) haud ambigue de globosa terrae figura hac voce utatur, possit aliquis huius auctoritate induci, ut eandem formam Diogenem etiam terrae tribuisse putet. Attamen, re accuratius perpensa, apud Platonem quidem globosae formae significationem sola antithesis vi huic voci addi, clarum est — *στρογγύλῃ* enim *γῇ* Plato opponit *πλατεῖαν* —, quum per se spectatus multo latius pateat eius usus, et quicquid rotundum sit eo nomine appelletur, ita ut aeque bene de cylindrica vel simili figura, quam de globosa dici possit [2]. Quare quum omnino ea aetate, qua Diogenes fuit, globosam terrae figuram physiologis non

---

1) Saepius de tali motu usurpatur *περιφορά*, velut de Anaxagorae *περιχωρήσει*. Vid. *Schaubach.* ad Anax, p. 107. et 158. ibid. Simplic. ad Arist. d. coel. p. 91. a; p. 159. ibid. Plut. Lysand. 12. Origin. 8. cf. praeterea Plato Timae. p. 39. b. (39, 8. Bekker); p. 40. b. (41, 5. Bekk.); Diog. Laërt. 3, 71.

2) *Plato* Phaedo. p. 97. d. *πότερον ἡ γῆ πλατεῖά ἐστιν ἢ στρογγύλη*. ib. *Heind.* Id. Parmen. p. 137. e. *στρογγύλον γέ που ἐστὶ τοῦτο, οὗ ἂν τὰ ἔσχατα πανταχῇ ἀπὸ τοῦ μέσου ἴσον ἀπέχῃ*, quibus haud ambigue circularem figuram significat. Praeterea usurpatur de navi oneraria, de ore rotundo (Vid. *Schneider.* in Lex.), de liene bisulcorum animalium (*Arist.* h. an. 8, 12) cet.

cognitam fuisse videamus, clarissimi *J. H. Vossii* [1]) sententiae accedere non dubitabimus, qui Diogenis Laërtii locum, de quo agimus, ad orbicularem terrae superficiem pertinere putat. Videtur igitur Diogenes terrae cylindricam tribuisse figuram, cuius superficiem, quam homines ceteraque animantia incolebant, orbi similem et planam esse putabat, eandem vero crasso et in profundum patente suffultum fundamento. Cui quidem figurae unice convenire videntur, quae supra de *περιφορᾷ ἐκ τοῦ θερμοῦ* demonstrata sunt. Nam si recte positum est, quod posui, eandem fere fuisse istorum humorum, quam solis ac coeli circumactionem; horum quidem circulos in prima rerum conditione paullo diversam ab ea, quae nunc est, secutos fuisse viam, probe animo tenendum est, quando quidem, polo nondum versus septentrionem inclinato, sed ipsum coeli fastigium obtinente, non, uti nunc fit, obliquis, sed directis circulis coelum cum sideribus ferebatur circa terram. Unde, quum pari ratione humorum *περιφορά*, de qua agimus, procederet, haud aliter evenire potuit, quam ut laterum maxime ambitus rotundaretur, quia prae ceteris terrae partibus circumacti aëris premeretur impetu, sive ipsa terrena massa hoc motu correpta est, donec densior fieret ac stabilior; sive sola tepefacti humoris vi fingebatur, ipsa immota manens ac firma; utrumque enim accidere potuit. Superficies contra terrae multo lenius tangebatur, quae, quum et ipsa superfluis humoribus, quibus tumebat, liberaretur, singulis ipsius partibus mundi centrum appetentibus, paullatim desedisse atque ita complanata esse videtur. Quibus ita expositis, quis est, quin *στρογγύλην* istam terrae formam ob oculos suos quasi nascentem agnoscat?

Cap. 72. Verum haec satis dicta sunto de terrae figura; restat, ut de ejus *πήξει* exponatur i. e. concretione

---

1) *Kritische Blätter*. Vol. II. p. 141. Doch erzählt er (Diog. L.), Diogenes von Apollonia, ein Zuhörer des Anaximenes, denke sich die Erde rund, und in der Mitte durch die umdringende Wärme befestigt *Gewiss wird wieder die Ründe einer Scheibe, nicht einer Kugel gemeint.* cet. Neque tamen omnia in his probaverim.

ac rigida compactione [1]), quam frigore (ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ) effectam esse, narrat Diogenes Laërtius. Quem ad modum enim caloris proprium est, extenuare et emollire quamcunque rem occupat, ita frigori contraria vis a natura data est contrahendi, compingendi, condurandi. Terrenae autem particulae natura sua frigido aëris genere continentur. Neque tamen terra Diogeni ab omni parte densa et compacta videbatur, sed multis eam cavernis, quibus aquae ex aliis plagis in alias pervenire possent, patere arbitrabatur, plane eodem modo, quo solem, quo lunam, quo stellas pumici, innumeris foraminibus exeso, similes dicebat. (Cf. cap. 79. ib. *Senec.* Quaest. nat. 4, 2. coll. *Anaxag.* ed. Schaub. p. 176.)

Cap. 73. Sicut autem terram caloris de coelo incidentis efficientia perfectam esse demonstravimus; ita eodem tempore coelum cum sole, luna, stellis, quarum in numero *cometas* etiam posuit Diogenes [2]), humorum evaporantium exhalationibus, ex inferioribus locis sursum latis, auctum ac nutritum esse constat: ita, ut iure Diogenes mutuo, quod frigidiori cum calidiore natura intercederet, commercio quodam universum mundum confecisse dicendus sit. Nam quum Alexander „*totum coelum* propter factam humidi segregationem a sole augmentatum esse" dicat; in primo isto rerum statu longe maior humidi et frigidi aëris copia, quam sicci et aetherei, quo quidem coelum constat, fuisse videtur: quae rerum conditio quum plane contraria esset mundi absolutae et perfectae, quam requirebat Diogenes, pulchritudini, ut quae in iusto cuiuscunque rei modo rectaque ad alias ratione cernitur; pars humidi aëris calefacta et rarefacta contrario generi adderetur necesse erat, ut aequabilis utriusque ac temperata exsisteret vis. Deinde vero solem lunamque humidis terrae vaporibus ali, ex Aristotele (l. l.) constat; eademque reliquis sideribus alimenta fuisse, perquam probabile est ex iis, quae apud *Stobaeum* leguntur I,

---

1) Cf. *Anaxag.* fr. 20. *Orig.* philosophum. 8. Diog. La. 9, 9.

2) Placit. III, 2. p. 421.

25. p. 508. Sed de singulis accuratius agendum. Ac solem quidem certum est iam fuisse eo tempore, quo ista evaporatio exsistere coepit, si quidem ipsius calore effecta est: unde in prima statim rerum secretione ortum esse solem apparet, leviorum particularum in superioribus regionibus conglobatione facta, simili prorsus ratione ei, qua terrenae particulae in inferioribus locis conglomerabantur. Id ex *Eusebio* (loco supra laudato) clare intelligitur, qui in eo tantum falli videtur, quod ex levissimis quibusque partibus solem compositum esse ait. Namque omnium rerum levissima subtilissimaque haud dubie est aether, cuius radii in cavernas et foramina, quibus pumici similis[1]) scatebat sol, incidentes ipsa subtilitate sua usque quaque penetrasse ipsique splendorem simul et calorem addidisse perhibentur. Aëris enim quum omnis, tum calidi maxime proprium est, omnia ac singula penetrare atque implere. (cf. fr. VI.) Unde haud facile quempiam esse arbitror, qui sibi persuadeat, aethereis particulis solem fuisse conflatum. Quae quum ita sint eandemque pumiceam naturam lunae ceterisque sideribus Diogenes tribuat[2]), vix dubium est, quin horum quoque omnium et originem et lucem ad easdem causas retulerit, quibus solis naturam explicabat. Parum igitur accurate Placitorum scriptor egisse videtur, quod stellas Diogenem *διαπνοιὰς τοῦ κόσμου* habuisse dicit. Quid enim? quum pariter, ac solis, pumicea earum massa esse dicatur, quis est, qui ex nihilo, nisi accensis atque inflammatis vaporibus eas constare, soleque dudum

---

1) *Stob.* Ecl. ph. I, 26, 3. p. 528. *Διογένης κισσηροειδῆ τὸν ἥλιον, εἰς ὃν ἀπὸ τοῦ αἰθέρος ἀκτῖνες ἐναποστηρίζονται.* Idem habet *Theodoret.* Gr. affect. cur. p. 59, 21: *κισσηροειδῆ δὲ Διογένης (τὸν ἥλιον καὶ σελήνην.)* *Heerenius*, (ad Stob. I, 25, 1. p. 508) propter ea Diogeni corpora coelestia pumici similia visa esse putat, quod pumicem pro levissimo lapide habuerit. Cui viri clarissimi sententiae quamvis non repugnem, mihi tamen magis ad cavernosam et aridam pumicis naturam spectasse videtur Diogenes.

2) Lunam appellabat teste *Stobaeo* I, 27. p. 552. *κισσηροειδὲς ἄναμμα.* De stellis cf. *Stob.* I, 25. p. 508. *Διογένης κισσηροειδῆ τὰ ἄστρα, διαπνοιὰς δὲ αὐτὰ νομίζει τοῦ κόσμου. εἶναι δὲ διάπυρα.* cf. *Euseb.* praep. evang. XV, p. 839. *Placit.* II, 3, p. 408.

exorto, natas esse credat? At similiter, ac sol, itidemque in primis mundi initiis factae sunt stellae ex levioribus aëris particulis sursum latis in coeloque conglobatis, nec dubito, quin iam fuerint, quum sol inferiores illos humores tepefacere, tepefactosque elevare coepit. Quanquam quodam modo stellas *διαπνοὰς τοῦ κόσμου* dici posse, non negaverim. Res enim haec est. Quum flammea sint sidera igneque accensa, ignis autem ea natura sit, quae quicquid corripuerit, conflagret atque absumat; omnia brevi consumptum iri intelligitur, nisi assidue ipsis accedat aliquid, quo alantur ac renoventur. Atque haec ipsa siderum alimenta sunt *διαπνοαὶ τοῦ κόσμου*, exhalationes mundi, quibus certe solem et lunam perpetuo renovari statuit Diogenes, ut ab Aristotele atque Alexandro edocemur. Huc quum accedat, quod ab initio etiam aër iste, unde stellae exortae, vix alia, quam vaporum specie apparere potuit, qui ea loca capessebant, ubi eorum conglobatione stellae fierent; Diogenem sidera iure mundi exhalationes appellare patet. Nam quod dicat aliquis, in ipso mundo esse sidera; vaporibus ergo, qui e mundo exeant, constare non posse: id quidem nullius momenti esse apparebit, si mundum, *κόσμον*, praesertim apud serioris aevi scriptores, haud raro partem tantum universi rerum complexus atque ordinis significare meminerimus, terram maxime cum adiacentibus locis, ut modo Alexandrum dicentem vidimus: „primo humida exeunte terra *ac toto mundo, qui circa ipsam est.*“ Quae quum ita sint, id tantum cavere volui, quum parum accurate Placitorum scriptorem stellas mundi exhalationes appellasse dixerim, ne quis similia docuisse Diogenem putet, ac Xenophanem, qui stellas nil nisi ignitas nubes esse statuit, easque quovis die novas. Talia enim prorsus aliena sunt a Diogeni doctrina [1]). Ceterum a stellis diversi sunt *lapides isti*,

---

1) Aliam *διαπνοιῶν* explicationem amplexus est *Ritterus* v. cl. Ion. Philos. p. 64, eandemque confidentius etiam protulit in Geschichte d. Philos. Tom. I. p. 227. Putat enim, *stellas mundo fuisse spiracula*, per quae rarefacti inferiorum regionum vapores ad aethera penetrent, rursusque ae-

inde a prima generatione rerum, ut videtur, in superioribus locis relicti, quos cum stellis in coelo circumagi putavit, sed luce destitutos. *Stob.* I, 25, 1. p. 508. συμπεριφέρεσθαι δὲ τοῖς φανεροῖς ἄστροις ἀφανεῖς λίθους καὶ παρ' αὐτὸ τοῦτο ἀνωνύμους· πίπτοντας δὲ πολλάκις ἐπὶ τῆς γῆς σβέννυσθαι· καθάπερ τὸν ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς πυρωδῶς κατενεχθέντα ἀστέρα πετρινόν. Idem habent *Placit.* 2, 13. p. 401. *Euseb.* praep. ev. XV. p. 839. A. ed. Paris. 1628. *Theodoret.* p. 59, 2. Διογένης δέ, καὶ ἐκπίπτειν εἰς τὴν γῆν τινὰς τούτων ἔφησε, καὶ σβεννυμένους ἐλέγχεσθαι, ὅτι λιθῶν ἔχουσι φύσιν. cet. (Cf. cap. 2.) Lapidea haec corpora in inferioribus, quam veras stellas, ferri locis consentaneum est: atque haec causa fuisse videtur, cur ἀφανῆ i. e. obscura dicantur. Aeque enim sublimem locum si tenuissent, fieri non potuit, quin perinde atque illae aetheris fervore canderent; nisi forte concreta magis eorum materia aut maiorem aetheris multitudinem arcebat, aut ignis radiis fortius resistebat, quam aërea ac pervia ceterarum stellarum massa. Attamen calida fuerint, necesse est, quando quidem igne flagrantia in terram decidere ait, ubi exstin-

---

theris radii terrae aliisque inferioribus locis dispensentur. Cf. loc. hist. phil. laud.: Diese Vorstellung bildete sich ihm weiter so aus, dass die Welt als eine lebendige Einheit ihre Lebenskraft aus dem Ganzen einziehe und empfange, wie das einzelne Thier; *daher schrieb er ihr Werkzeuge des Athmens zu, welche er in den Gestirnen zu erblicken glaubte.* Ac negari nequit, aliquam saltem verisimilitudinis speciem nancisci hanc sententiam, quum ex ipsa perforata siderum natura, qua pulmonibus comparari possunt, tum ex simili vocis ἀναπνοή usu, quae itidem de spiritus meatu usurpata esse videtur apud *Arrian.* Indic. p. 178. E. ed. H. Steph. βαίνεται δὲ ἐλέφας ἦρος ὥρῃ, καθάπερ βοῦς ἢ ἵππος, ἐπεὰν τῇσι θηλέεσι αἱ παρὰ τοῖσι κροτάφοισι ἀναπνοιαὶ ἀνοιχθεῖσαι ἐκπνέωσι, citante *Schneidero* in Lexic. Sed ut omittam, quod ne minimum quidem vestigium huius significationis in frequentissimo vocis διαπνοιή apud omnis generis philosophos usu reperitur, longius Ritteri ratio petita videtur, nec dubitavi, eam deserere, praesertim quum ea rei explicatio, quam ego secutus sum, ultro sese offerret comparanti, quae de sole ac luna tam diserte, tamque clare relata sunt; ipsaque simplicitate sua ac facilitate prae altera illa se commendaret. Ceterum *Theodoretus* similem, ac Ritterus, sententiam habuisse videtur: Gr. aff. c. p. 58, 50. ὁ δὲ Διογένης κισσηροειδεῖς λέγει εἶναι τούτους (ἀστέρας), διαπνοάς τινας ἔχοντας. Sed Plutarchum ille non intellexit, quem in his haud dubie sequitur. cf. p. 61, 17. *Jons.* scr. h. ph. IV. no. 2. p. 236.

guantur. Puto equidem, in ipso delapsu, incitato versus terram motu, eorum calorem adeo auctum esse, ut igne accensa videantur. Nam, uti dictum est, antea ignita non sunt; in coelo enim essent conspicua.

Cap. 74. Vidimus igitur, quo modo mutua calidioris cum frigidiore genere coniunctione alteriusque in altero exserta vi terra conformata sit, coelum adauctum, sidera nutrita: iisque omnibus inducimur, ut non solum humidiorum vaporum perpetuam quandam in ista loca confluxionem obtinuisse statuamus, sed calidioris etiam aëris in inferioribus locis efficientiam, terra etiam condita, continuatam esse existimemus, quo omnis in rerum natura vitae omnisque ordinis ut effector et causa, ita conservator exsisteret et altor. In calido enim aëre νόησις posita est, cuius praeclara virtus nullis aut locorum aut temporum finibus coërcetur. Sed, ut iterum ad primam istam rerum conditionem revertamur, quum terra mollior adhuc esset et tractabilis, singulae universi aëris calidi partes in singula terrena frusta sese insinuasse penitusque abdidisse videntur. Quibus terrenis partibus quum inde vitalis vis accederet et motus, quo ab reliquis avellebantur ad certamque paullatim figuram fingebantur: prodierunt hominum, animalium, plantarum genera, rudia illa quidem ab initio, nec absoluta, qua nunc gaudent, perfectione ornata, sed ad maiorem semper perfectionem erudienda. Ubicunque enim calidus aër cum frigido sese coniungit, oritur animal, ex corpore constans atque anima. Quod a Diogene ita expositum esse quum per se rei consentaneum sit, accedunt aliorum physicorum decreta, qui ad similes causas animantium origines referebant, accedit clarum *Placitorum* (II, 8. p. 398) testimonium, quo e Diogenis mente animantia ἐκ τῆς γῆς ἐξαγαγεῖν (apud *Stobaeum* I, 16. p. 358 in eodem loco ἀναγαγεῖν, apud *Galenum* XI, 8 συμφῦναι, sententia non multum diversa) dicuntur.

Cap. 75. Talis igitur erat prima animantium procreatio; posthac ipsa ex sese genus propagabant, sed iis-

dem natura legibus obtemperante, quas in primis initiis sequebatur. In iis enim, quae Diogenes de conformatione humani foetus in utero matris docuisse traditur, quis est, quin primo obtutu infantem calidi generis cum frigidiore eoque humido coniunctione nasci videat? Sed ipsa veterum testimonia proferenda sunt, quo clarius res intelligatur. Ac primo quidem a *Censorino* relatum est, statuisse Diogenem, ex patris tantum modo semine nasci partum[1]; idemque Censorinus ex humore primo carnem fieri eum existimasse autumat, tum ex carne ossa nervosque et ceteras partes enasci: [2]) quo de loco supra iam exposuimus. Solo igitur patris semine materiam contineri statuit Diogenes, e qua infans conformetur; matrem contra nihil materiae, nihil seminis ad foetum formandum suppeditare, sed fovere conceptam materiam uteri calore, cuius vitali vi ad humidum et spirabile patris semen accedente non corpus tantum procreari ac fingi, sed animam etiam comparari. Cuius rei indicium est, quod e *Placitorum* libro Diogenem docuisse accepimus, partum edi calore perfusum, *ἐν θερμασίᾳ*. Est autem Placitorum locus hic V, 15. p. 477: *Διογένης γεννᾶσθαι μὲν τὰ βρέφη ἄψυχα, ἐν θερμασίᾳ δέ· ὅθεν τὸ ἔμφυτον θερμόν, εὐθέως προχυθέντος τοῦ βρέφους, εἰς τὸν πνεύμονα ἐφέλκεσθαι τὸ ψυχρόν* [3]) h. e. partus edi *ἀψύχους*, inanimatos, sine respiratione, sed *ἐν θερμασίᾳ*, tepefactos: unde fieri, ut (*ὅθεν*) innatus ipsis calor, simul ac partus edatur, frigidum i. e. frigidiorem ipso infante aërem per nares et os in pulmones ad sese trahat. Ubique enim in tota rerum natura frigidum humidumque aërem naturali quadam lege eo ferri videmus, quo vis

---

1) D. die natal. c. V. Illud quoque ambiguam facit inter auctores opinionem, *utrumne ex patris tantum modo semine partus nascatur*, ut Diogenes et Hippon Stoicique scripserunt, an etiam ex matris. cet.

2) D. die nat. c. V. cf. *Hippocr.* d. carnib. ab init.

3) *ἐφέλκεσθαι* pr. *ἐφέλκεται* positum est e *Galeno* 33. p. 53. monente *Beckio*, qui idem ex eodem Galeno recte haud dubie accersit *τὸ ψυχρόν*, quod adieci. Contra non audiendus est *Reiskius*, qui post *πνεύμονα* inserere vult *τὸν ἀέρα*.

caloris accersit: quo praecepto saepe Diogenes utitur in rebus explicandis. Quare quum infantis corpus, in utero matris fotum, calore perfusum sit; quum primum partus frigidiori aëri expositus est, insitus ipsi calor circumfusum aërem in pulmones allicit quasi et attrahit [1]). Hinc respirationis initium; in utero enim spiritus neque ducitur ab infante neque emittitur; hinc vitae vere humanae, hinc rationis causa; licet in utero iam moveatur foetus, alatur, crescat. Quod quidem clare elucet ex his. Nam tempus definire conatus est Diogenes, quo foetus maturi fierent, narrante *Censorino* d. die nat. c. IX: „Alii plerique, inquit, quum omnes partus non uno tempore fiant maturi, una tamen eademque tempora omnibus conformandis dederunt, ut Diogenes Apolloniates, qui masculis ait corpus quatuor mensibus formari et foeminis quinque.“ Reprehendit in his Diogenem Censorinus, quod foetibus utriusque sexus fingendis certum ac definitum tempus constituerit, quum neque omnes masculi foetus eodem tempore maturescant, neque foeminei. Sed iniuria, ut videtur. Minime enim Diogenes singulos utrique sexui comparando dies adnumerare voluit; sed *Galeni*, qui de eadem re disputat, testimonio satis clarum est, eum id maxime egisse, ut demonstraret, longiore temporis spatio opus esse ad masculos, quam ad foemineos foetus maturandos. Sed apponam Galeni locum, quoniam simul ex eo elucet, temporum definitionem apud Censorinum perversam esse. *Galen.* in libr. IV. Hippocr. d. morb. vulg. Comm. II. p. 614. ed. Lat. Bas. MDXLII: „quin etiam inter omnes fere medicos marem quam foeminam non solum figurari sed etiam moveri citius constat. De his autem et in libro de Natura Pueri aperte narra-

---

1) Cf. simile Empedoclis placitum Plac. l. c. *Ἐμπεδοκλῆς, μὴ εἶναι μὲν ζῶον τὸ ἔμβρυον, ἀλλ' ἄπνουν* (sic enim utique legendum!) *ὑπάρχειν ἐν τῇ γαστρί· πρώτως δ' ἀναπνοὴν τοῦ ζώου γίνεσθαι κατὰ τὴν ἀποκύησιν, τῆς μὲν ἐν τοῖς βρέφεσιν ὑγρασίας ἀποχώρησιν λαμβανούσης, πρὸς δὲ τὸ παρακενωθὲν ἐπεισόδου τοῦ ἐκτὸς ἀερώδους γενομένης εἰς τὰ παρανοιχθέντα τῶν ἀγγείων.*

tum est, quem ad modum et apud Dioclem in voluminibus de mulierum morbis. *Rufus autem solum Apolloniaten Diogenem in contrariam abire sententiam inquit, in secundo de Natura volumine. Sed liber ille in manus nostras non venit* [1])." Aperte igitur Diogenes puero conformando plus temporis concessit, quam puellae. Unde mihi quidem numeri apud Censorinum inter sese commutati esse videntur, ita ut masculis quinque menses, foeminis contra quatuor tribuendi sint. Iam quum quarto et quinto mense corpus ex informi seminis materia perfectum esse censeret maturosque foetus; quaestio oritur, qua ratione per reliquos aut quinque aut sex menses, quibus in utero retinentur, — nam decimo tandem mense e veterum mensium computatione partus eduntur — nutriantur ac sustententur, ut, quem ad modum figuram, ita iustam etiam magnitudinem adipiscantur. Atque in hac quaestione iterum lucem aliquam praebet *Censorinus* c. V. Nam „Anaxagorae," inquit, „ceterisque compluribus per umbilicum cibus administrari videtur; *at Diogenes et Hippon existimarunt, esse in alvo prominens quiddam, quod infans ore apprehendat.*" Suspicor, eum dicere prominentia ista in utero animalium ruminantium corpuscula, quae *cotyledonum* nomine physiologi appellant, qualesque in manco, qui tum erat, harum rerum usu humano etiam utero inesse, e quibus infans cibum sugeret, statuisse videtur Diogenes. Cf. *Hippocr.* d. carnib. s. III. p. 31. ed. Foës. *Placit.* V, 16. p. 478. *Hutt.* *Δημόκριτος, Ἐπίκουρος, τὸ ἔμβρυον ἐν τῇ μήτρᾳ διὰ τοῦ στόματος τρέφεσθαι· ὅθεν εὐθέως γεννηθὲν ἐπὶ τὸν μαστὸν φέρεται τῷ στόματι· εἶναι γὰρ ἐν τῇ μήτρᾳ θηλάς τινας καὶ στόματα, δι᾽ ὧν τρέφονται.* Ceterum ad parem vel similem rationem reliquorum etiam animantium generationem, dum modo fusius ea de re egit, eum explicasse, probabile est; sed tacent veterum libri.

---

1) *Ῥοῦφος δέ φησιν, Διογένη τὸν Ἀπολλωνιάτην μόνον ἐναντίως ἀποφήνασθαι κατὰ τὸ περὶ φύσεως δεύτερον. ἐγὼ δὲ οὐκ ἐνέτυχον τῷ βιβλίῳ.*

Cap. 76. Natis autem animantibus perfectaque universi mundi facie, eam mundus inclinationem nactus est, quam nunc habet. *Plac.* II, 8. p. 398. *Διογένης, Ἀναξαγόρας μετὰ τὸ συστῆναι τὸν κόσμον καὶ τὰ ζῶα ἐκ τῆς γῆς ἐξαγαγεῖν ἐγκλιθῆναί πως τὸν κόσμον ἐκ τοῦ αὐτομάτου ἐς τὸ μεσημβρινὸν αὐτοῦ μέρος· ἴσως ὑπὸ προνοίας, ἵνα ἃ μέν τινα ἀοίκητα γένηται, ἃ δ' οἰκητὰ μέρη τοῦ κόσμου κατὰ ψύξιν καὶ ἐκπύρωσιν καὶ εὐκρασίαν* h. e. mundum inclinatum esse sponte in meridianam partem, mentis fortasse providentia ita administrante, ut aliae eius plagae inhabitabiles essent, aliae habitabiles per frigus et fervorem et aequabile coeli temperamentum. Quaenam autem mundi conditio fuerit, prius quam inclinatus sit, docet *Diog. Laërt.* (2, 9) cuius verba, quamvis ad solum Anaxagoram pertineant, tamen non dubitavi, ad Diogenem quoque transferre. Nam quum Anaxagorae ac Diogenis sententiae in Placitorum loco, quem modo laudavimus, in unum coniunctae reperiantur, non iniuria inde colligi videtur, utrique de hac re vel eadem vel similia certe placuisse, ut, si quid forte ad solam alterius utriusque sententiam illustrandam afferri possit, idem, dum modo caute adhibeatur, ad alterius sententiam explicandam idoneum esse videatur. Diogenes igitur Laërtius habet haec: *Τὰ δὲ ἄστρα κατ' ἀρχὰς μὲν θολοειδῶς ἐνεχθῆναι, ὥστε κατὰ κορυφὴν τῆς γῆς τὸν ἀεὶ φαινόμενον εἶναι πόλον, ὕστερον δὲ τὴν ἔγκλισιν λαβεῖν.* Principio igitur sidera in tholi formam ferebantur, ita ut is polus, qui semper cernitur h. e. arcticus supra fastigium terrae sive supra mediam terrae partem constitutus esset; postea vero inclinationem adepta sunt. Polo autem arctico in summa coeli sede locato sidera circum ipsum versantia nunquam neque oriebantur neque occidebant, sed pro eorum a polo distantia sive maioribus sive minoribus gyris usque circumferebantur. Idem vero haud dubie cursus solis, a quo quum omnia aequaliter collustrarentur, universa terrae superficies habitabilis fuisse videtur: nata enim eo tempore animantia. Quod si iam cum hac prima mundi conditione comparamus eam, quae

nunc est; polum non amplius supra mediam terrae superficiem positum esse apparet, sed magis ad septentrionem conversum: quod accidisse sit Placitorum scriptor mundi versus meridiem inclinatione. Mundum autem (τὸν κόσμον) parum accurate dixit, quando quidem, si universus mundus inclinatus esset, eundem etiamnum et coelum ad terram obtineret locum et terra ad coelum: ex quo apparet, partem tantum universi mundi inclinatam esse. Et, si dixisset, *ad septentrionem*, clara essent omnia; nunc vero, quum *ad meridiem* dicat, quocunque vertamur, tantae ubique offerunt sese difficultates, in quibus considerandis animus in contrarias sententias distrahitur, ut certi quid in hac restituere difficillimum sit. Nam quum triplex sit huius inclinationis explicandae ratio, prima, ut terra inclinata esse dicatur, altera, ut coelum, tertia denique, ut utrumque tam coelum quam terra; harum nulla satisfacere videtur ad omnes difficultates dispellendas. Sed de singulis accuratius disserendum. Primum igitur si terram inclinatam esse statuas in meridianam mundi partem; eam quidem sententiam amplexus est *J. H. Vossius* et *E. Schaubachius* (Anaxag. p. 175.), magna uterque auctoritate vir; sed tamen mirum videtur, terram, quae ab omnibus antiquioribus physiologis praecipua fere totius mundi pars habetur et maxima, ad quam reliqua omnia referunt, oblique positam esse, ut omittam, quod talis terrae status in omni antiquiore philosophia sine ullo exemplo est. Sed accedunt alia argumenta eaque graviora, quae cum hac ratione pugnare videntur. Quid enim? terra versus meridiem inclinata nonne omnis Oceani aqua relictis septentrionalibus regionibus eo flueret necesse erat, quo terra deprimeretur? nonne tota Libya magnaque Asiae pars maris mediterranei fluctibus, terrae declinatione exundantibus, offusa esset? Nilum autem et reliqua flumina, quorum aquae e meridianis plagis ad septentrionales fluunt, sursumne haec ex inferioribus locis adscendisse dicamus praeter naturam? An notissimam istam legem, qua flumina natura sua inferiora semper loca petunt, ubicunque etiam me-

diocris ingenii hominibus ultro sese offerentem, Anaxagoram et Diogenem fugisse arbitremur, sagacissimos sine ulla dubitatione viros et totos in rerum causis indagandis occupatos? Porro quum Anaxagorae certe ideo terra in media mundi sede manere videretur, quod subiacente aëre sublimis teneretur, nonne hic aër sub elatam terrae partem facilem iam exitum nactus foret, per quem in superiora loca, quo natura sua ferebatur, excederet? Denique clare Diogenes Laërt. loc. supra cit. sidera inclinata esse affirmat, nec est, quod cum Schaubachio hunc locum corruptum esse putemus. Quibus omnibus argumentis accurate perpensis iam non dubitabimus, hanc rationem deserere. Sequitur, ut pari modo de coelo dicatur. Cuius si inclinationem factam esse statuas versus meridiem, ea, quae nunc est, poli ac siderum conditio ita tandem oriri potuit, si aut solem initio per medium coelum, utroque polo in ipso horizonte constituto, ab ortu ad occasum latum esse ponas, aut septentrionale hemisphaerium coeli versus meridianum inclinatum esse dicas ita, ut polus arcticus deprimeretur versus borealem horizontis partem, antarcticus contra elevaretur. At quod ad primum attinet, quod proposui, disertis verbis *Diogenes Laërtius* testatur, prius quam mundus inclinatus sit, polum arcticum in summo coeli culmine positum fuisse, neque vero in horizonte; alterum autem si volebat Placitorum scriptor, tam negligenter exposuit sententiam suam, ut vel a pessimo scriptore diligentius expositam exspectaveris; id enim, in quo summa vertebatur res, plane omisit. Itaque haud facile quempiam inveniri arbitror, qui hanc sententiam probet. Ad tertiam denique rationem pervenimus, qua et coelum inclinatum sit et terra, haec quidem ad meridiem, coelum ad septentrionem; utrumque enim ut pari ratione inclinatum sit, fieri non potuisse, supra demonstratum est. Sed (praetereo enim, quod, si modo terram inclinatam esse dicas, eaedem, quas antea exposuimus, difficultates manent;) ne verbo quidem significatum est a Placitorum scriptore id, quod maximum erat in hac re, in diversas partes utrumque inclinatum es-

se; neque ullo artificio haec sententia ex eius oratione extorqueri poterit. Quae quum ita sint, neque, quamcunque inieris rationem, ad rem expediendam quicquam efficiatur; equidem non dubito, quin locus Placitorum corruptus sit. Maxima autem difficultas in eo posita esse videtur, quod in meridianam partem mundus inclinatus esse dicitur; unde mendam verbis εἰς τὸ μεσημβρινὸν αὐτοῦ μέρος inesse suspicor. Videtur autem in iis latere aliquid, quo *boreae* mentio aliqua fiat, velut εἰς τὸ προσβόρειον αὐτοῦ μέρος vel εἰς τὸ μεσοβόρειον α. μ. vel aliud denique huic simile. Quanquam iam veterum tempore vitium in hunc locum irrepsisse probabile est, si quidem idem apud Stobaeum etiam et Galenum legitur. (II. c. 74 laud.) Sed utut res est, si nostram sententiam probaveris, omnia luce ipsa clariora sunt: coelum cum sole, luna, stellis, uno verbo, universa superior mundi pars ad boreales regiones inclinata est; quo facto polus arcticus non amplius in summo coeli culmine conspicuus est, sed magis ad septentrionem conversus. Haec autem est mea qualiscunque sententia, quam tamen, si quis meliora docuerit, libenter, illa amplexus, mittam.

Cap. 77. Iam vero si in causam inquiras, qua impellente acciderit, ut mundus inclinaretur, id factum esse ait Placitorum scriptor ἐκ τοῦ αὐτομάτου, *sponte* i. e. nullo ictu rei cuiusdam extra eum positae impulsum esse, sed suapte gravitate, suopte pondere. Polus enim arcticus quum non solum maiore a sole distaret spatio, quam ut eadem vi, qua in medio coelo, sol irruentes in ista loca vapores aut repellere aut dissolvere valeret; sed summam etiam eo tempore universi mundi obtineret sedem, quam natura sua adscendentes ex inferioribus regionibus vapores praecipue capessebant: ingentem frigidi humidique aëris vim circa polum collectam et quasi constipatam fuisse apparet, cuius nutante pondere mediique coeli subtilitatem ac levitatem longe superante, necessario deorsum inclinabatur. Ac ne quis dicat, poli antarctici aequilibritate polum arcticum, quo minus deorsum ferretur, impeditum fuisse:

polus antarcticus in infimis mundi locis antiquis illis physicis collocatus esse videbatur, quo nulli unquam vapores deferebantur; sed quicquid aëris etiam sub terra esset, tamen natura sua superiora petere statuebant, unde Anaxagorae, ut ad hoc unum documentum exempli causa provocem, terrae molem subiacente aëre eoque sursum lato sublimem teneri placuit. Haec igitur verissima causa videtur, cur coelum inclinatum esse statuerit Diogenes. Quam enim Placitorum scriptor addit rationem, *ἴσως ὑπὸ προνοίας, ἵνα ἃ μέν τινα ἀοίκητα γένηται, ἃ δ' οἰκητὰ μέρη τοῦ κόσμου κατὰ ψῦξιν καὶ ἐκπύρωσιν καὶ εὐκρασίαν;* ea sive ab ipso sive ab alio scriptore, quem sequebatur, inventa est, atque ex Anaxagorae maxime doctrina ducta, quem, ubi rerum causas naturalibus viribus explicare non posset, „*mentem pertraxisse*" constat, „*forte quod haec mens voluit*" dicentem. Quanquam et Diogenem *νοήσεως* consilio et providentia ad moderandam mundi inclinationem usum fuisse, non negaverim, quum omnem in rerum natura pulchritudinem et ordinem ex hoc fonte derivaret. Pendet autem ex coeli inclinatione aequabilis ista caloris et frigoris per terras distributio; in recta autem distributione rerum ordo et pulchritudo consistit. (cf. fr. IV) Sed Diogenes non aliter uti solet *νοήσει*, quam ut naturales rerum vires ab ipsa gubernari ac regi dicat: ex quo, nullo modo totam ac plenam illis Placitorum verbis comprehendi causam, intelligitur, qua impellente Diogenes mundum inclinatum esse crediderit. Mundi autem ordo, inclinatione ista factus, ne iterum turbetur magisque coelum, quam par est, deprimatur, minime verendum est. Partim enim sol, qui iam summum ferme coelum obtinet, calore suo efficit, ut suprema coeli loca, quod quidem natura postulat, levissimo et subtilissimo semper aëre repleta sint, partim vero etiam alia ratione cautum est, ne ponderosi frigidique aëris, qui in septentrionalibus coeli plagis regnat, ita augeatur momentum, ut magis etiam deprimantur. Manet enim contrariorum generum quum frigidi et humidi, tum calidi et sicci quasi perpetuum quoddam certamen, quo invicem sese

adoriri ac de principatu pugnare videntur. Etenim assidue aqua fluminum maximeque maris, solis radiis tepefacta, vaporat: qui vapores, sicut oleum in lucerna eo fluit, quo exuritur, natura sua in eas praecipue coeli regiones feruntur, quae maxime calore inaruerunt. Hinc plurimarum rerum causae repetendae; hinc, ut sola ea referam, quae Diogenem docuisse certo constat, sol, luna, sidera, aquas ad se trahere videntur, quibus alantur ac sustententur; hinc solis annui et progressus et regressus explicandi; hinc admirabilis ista certis temporibus Nili exundatio derivanda; hinc tonitru efficitur et fulgur; hinc denique mundo interitus imminebit.

Cap. 78. Ac de siderum quidem nutritione supra dictum est; sequitur, ut item de annuis solis reversionibus dicatur, quas τροποὺς appellant Graeci. Quibus quum maxima ex parte ratae ac definitae singulorum anni temporum vicissitudines regerentur, quarum ordinatam mutationem tantopere admirabatur Diogenes, quis est, quin diligentissime ipsum in earum causas inquisivisse credat? Quam ob rem magnopere dolendum est, tam mancam nobis servatam esse huius rei expositionem. Nam *Stobaeus*, ubi (l. l) solem e Diogenis mente pumici similem aetherisque radiis penetratum esse dixerat, eodem orationis tenore addit haec pauca: ὑπὸ δὲ τοῦ ἀντιπίπτοντος τῇ θερμότητι ψυχροῦ σβέννυσθαι (τὸν ἥλιον). Quam sententiam ne de quotidiano solis occasu accipiamus, vetat testimonium libri de Placitis, ubi eadem in locum περὶ τροπῶν ἡλίου reiecta reperitur. Ceterum quid sibi voluerit Diogenes, haud obscurum esse potest ei, qui tum quae modo de humidarum exhalationum in arefactas coeli regiones impetu commemorata sunt, animo teneat; tum in comparationem vocet similes aliorum physiologorum sententias, quos iisdem fere temporibus fuisse constat: Anaxagoram dico atque Empedoclem. (cf. *Schaubach.* Anax. 169. s.) Etenim sol, dum ipsa levitate sua altius semper in coelo fertur propiusque accedit ad mare atque humidiores omnino frigidioresque terrae plagas, quo magis appropin-

quatur et quo diutius eius vim sentiunt illa loca, eo maiorem educit humidarum exhalationum multitudinem; quae quum natura sua illuc incumbant, quo vis caloris accersit, aucto sensim impetu in eas coeli plagas irruunt, quae solis radiis maxime exaruerunt, donec ipsum in itinere consistere cogant magisque instantes repellant densa sua gravitate. Sic enim haud dubie explicandum est, quod dicit Stobaeus: *ἀντιπίπτοντος τοῦ ψυχροῦ*. Quod quum accidit, frangitur ac debilitatur paullatim solis ardor, donec tempore brumae paene exstinctus esse videatur (*σβέννυται*). Mox tamen res mutatur. Humidis enim vaporibus ipsa solis fuga subsidio quasi et alimento destitutis, tum magna ex parte meridianarum regionum, quo perveniunt, aestu diffusis a siticulosisque Libyae desertis exhaustis, iterum crescunt solis vires; pellit sol vapores, a quibus antea pellebatur conversoque itinere naturam suam sequitur. Sic autem omnia clara esse videntur; nec audiendus est Alexander Aphrodisiensis, qui (l. l.) solis conversiones inde explicare studet, „quoniam eadem semper loca exhibere illi alimenta non possint."

Cap. 79. Haec igitur, quae exposita est, vera et accessus et recessus solis fuit causa; quacum Diogenis de annua Nili exundatione sententia ita consentire videtur, ut nunc tandem recte intelligatur. Nam quum maxima incrementa Nilum a media fere aestate usque ad tempus aequinoctii capere constet; facilis intellectu huius rei causa esse videtur. Primo enim solis recessu magnam humidorum vaporum copiam in illa loca arcessi demonstratum est, unde Nilus profluit, quibus ex parte saltem in terram conversis fluminis aqua increscat necesse est; tum vero etiam ingens aquarum multitudo ex solutis septentrionalium regionum nivibus liquefactaque glacie accedit, quae eo tempore per subterraneas istas speluncas, quibus terram perforatam esse existimavit, in meridianas plagas perveniunt. Quod ut ita Diogenem statuisse putemus, quum re ipsa, tum disertis veterum testimoniis inducimur. *Seneca* Quaest. nat. IV, 2: *Diogenes Apolloniates ait:*

Sol humorem ad se rapit: hunc exsiccata tellus tum ex mari ducit tum ex ceteris aquis. Fieri autem non potest, ut una sicca sit tellus, alia abundet; sunt enim perforata omnia et invicem[1] *pervia. Sicca ab humidis sumunt aliquando. Nisi aliquid terra acciperet, exaruisset. Ergo undas sol trahit: sed ex his, quae premunt, maxime haec meridiana sunt. Terra quum exaruit, plus ad se humoris adducit: ut in lucernis oleum illo fluit, ubi exuritur, sic aqua illo incumbit, quo vis caloris et terrae aestuantis arcessit. Unde ergo trahitur? Ex illis scilicet partibus semper hibernis, septentrionalibus, unde exundat. Ob hoc Pontus in inferum mare assidue fluit rapidus, non ut cetera maria alternatis ultro citro aestibus, in unam partem semper pronus et torrens.. Quod nisi faceret, hisque itineribus, quod cuique deest, redderetur, quod cuique superest, emitteretur, iam aut siccata essent omnia aut inundata.*[2] — *Schol. Apollon. Rhod.* IV, 269. *Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης ὑπὸ ἡλίου ἁρπάζεσθαι τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης, ὃ τότε εἰς τὸν Νεῖλον καταφέρεσθαι· οἴεται γὰρ πληροῦσθαι τὸν Νεῖλον ἐν τῷ θέρει διὰ τὸ τὸν ἥλιον εἰς τοῦτον τὰ ἀπὸ γῆς ἰκμάδας τρέπειν.*

Cap. 80. Item vero certamen, quo solem cum humido aëre conflictantem videmus, inter universum genus calidum et humidum obtinuisse videtur. Quod quum per se veri haud absimile sit, confirmatur ea ratione, qua *tonitru* et *fulgur* oriri arbitrabatur Diogenes. *Stob.* I, 30.

---

1) *Libr.* in itinere. *Gron.* in itinera.

2) Contra haec *Seneca*: „Interrogare Diogenem libet, quare, quum Pontus et amnes cuncti invicem commeent, non omnibus locis aestate maiora sunt flumina? Aegyptum sol magis percoquit: itaque Nilus magis crescit. Sed in ceteris quoque terris aliqua fluminibus fit adiectio. Deinde quare ulla pars terrae sine humore est, quum omnis ad se ex aliis regionibus trahit, eoque magis, quo calidior est? Deinde quare Nilus dulcis est, si illi e mari unda est? Nec enim ulli flumini dulcior gustus.“ Quibus tamen plerisque Diogenis sententia non infringitur.

p. 594. Διογένης ἐμπτῶσιν [1]) πυρὸς εἰς νέφος ὑγρὸν βροντὴν μὲν τῇ σβέσει ποιοῦν, τῇ δὲ λαμπηδόνι τὴν ἀστραπήν. Συναιτιᾶται δὲ καὶ τὸ πνεῦμα. Huic loco paullo obscuriori lucem praebet *Seneca* Qu. nat. II, 20. „Diogenes Apolloniates ait, quaedam tonitrua igne, quaedam spiritu fieri. Illa ignis facit, quae ipse antecedit et nunciat: illa spiritus, quae sine splendore crepuerunt." Duo igitur tonitruum genera statuit Diogenes, alterum cum fulgure coniunctum, alterum sine fulgure. Illius quidem causa ignis est, radius aetheris, desuper in nubes, natura sua humidas, incidens et exstinctione fragorem, splendore autem fulgur efficiens. Similis est *Anaxagorae* huius rei explicatio p. 171 ed. *Schaub*. Alterum tonitruum genus, cum fulgure non coniunctum, eodem modo oriri statuisse videtur, praeterquam quod non ignem eorum causam argueret, sed aërem magno impetu in nubes irruentem. Id enim apparet ex iis, quae *Seneca* l. c., ubi Diogenis sententiam impugnat, profert: „quis enim, inquit, negabit, *spiritum magno impetu latum*, quum efficit sonum, effecturum et ignem?"

Cap. 81. Cetera, quae praeter haec Diogenem de his rebus exposuisse coniicias, perierunt omnia. Attamen vel ex paucis reliquiis, quas habemus, quanti in rerum causis et originibus explicandis fecerit contrariorum generum modo huc modo illuc translata momenta, ita clarum est, ut nulla dubitatio sit, quin, quicquid de rerum mutationibus vicissitudinibusque dicendum habuerit, ad eandem hanc causam retulerit. Quod quum ita sit, haud spernendus esse videtur *Stobaeus*, qui *mundum aliquando interiturum esse* ex Diogenis sententia, idque ἐκπυρώσει, affirmat. [2]) Quem ad modum enim ab initio frigidi eiusdemque humidi aëris maior ac praevalens copia fuisse videtur: quis est, qui evenire posse neget, ut pari modo aliquando con-

---

1) Vulgo ἐμπύρωσιν, quod iam *Canterus* correxit.

2) I, 21. p. 476. Ἀναξίμανδρος, Ἀναξιμένης, Ἀναξαγόρας, Ἀρχέλαος, Διογένης, Λεύκιππος φθαρτὸν τὸν κόσμον, κατ' ἐκπύρωσιν δέ.

trarium genus principatu potiatur atque imperio? Imo res ipsa postulare videtur, ut eveniat. Licet enim vapores, a sole ex tepefactis terris et aquis excitati, refundantur sub varia specie rursumque ab terra recipiantur: fieri tamen non potest, quin semper aliquid intereat, etiam si admodum sit exiguum, quod astrorum ignis aetherisque flamma consumat. Ex quo eveniat, necesse est, ut, assidue aucta calidi generis amplitudine ac potentia, ad extremum omnis mundus ignescat atque intereat, quum, consumpto maris ceterarumque terrarum humore, neque terra ali possit, neque aër, neque sol, neque sidera, nec denique aether. Huic autem sententiae optime convenit, quod teste Theophrasto apud Alexandrum Aphrodisiensem (l. c.) Diogenes mare penitus aliquando exsiccatum iri docuisse perhibetur, neque obstant, quo minus ita statuamus, fragmenta Diogenis, in quibus, omnia in idem reverti, legimus, quo exorta sint, i. e. aërem: quando quidem in illo fragmentorum loco non tam de tota mundi universitate, quam de singulis quibusque rebus agitur. Ceterum non est praetermittendum, hunc aliosque huiusmodi locos in causa fuisse videri, cur Leucippi vestigia pressisse Diogenem Simplicius dicat, ut quem pleraque eadem, atque illum, docuisse narret: quae quidem observatio Schleiermacheri acumini debetur[1]).

Cap. 82. Neque tamen res confecta. Nam quum aër, commune omnium rerum principium, aeternum atque immortale esset e Diogenis sententia corpus, cuius vegeta semper et animata vi reliqua omnia nascerentur: nunquam profecto fieri potuit, ut, quam diu ipse superstes esset aër, vel uno temporis puncto cessaret rerum generatio. Nullus igitur absoluto rerum interitui in Diogenis philo-

1) Comm. saepius laud. p. 94. Vielleicht ist nun, wenn Simplicius ienes Urtheil nicht anderswoher entlehnt hat, hiebei besonders Rücksicht zu nehmen auf die Lehre von dem sogenannten Wechsel der vergänglichen Welten, in welcher Anaxagoras, Leucippus und Diogenes vom Stobaeus übereinzustimmen gemeldet werden. Auf diese war Simplicius besonders aufmerksam wegen seines Streites gegen das christl. Dogma vom Weltende und dessen Verfechter Ioannes Philoponos. cet.

losophia locus. Quare quum uno ore omnes consentiant, innumeros Diogenem statuisse mundos [1]; quotiescunque unus ex his flammis consumeretur, alium in eius locum successisse apparet, qui et ipse suo tempore consumptus, rursus alii locum praebiturus esset. Nam quum universum aërem in infinitum patere, mundum contra certis finibus i. e. *τῷ περιέχοντι* circumscribi putaret Diogenes [2]; absumpti mundi complexum e vestigio infiniti aëris partem complevisse — quis enim vacuum in Diogenis doctrina ferat spatium? [3]) — materiamque novo procreando suppeditasse, probabile est. Haec autem est unice vera ratio, qua Diogenem innumeros mundos statuisse, dicere liceat. Nam si quis sit, qui in eorum numero eum referat, qui infinitos esse uno eodemque tempore mundos putet, refutatur is *Simplicii* auctoritate, qui ad phys. p. 257. b. haec habet: *οἱ μὲν γὰρ ἀπείρους τῷ πλήθει τοὺς κόσμους ὑποθέμενοι, ὡς οἱ περὶ Ἀναξίμανδρον καὶ Λεύκιππον καὶ Δημόκριτον καὶ ὕστερον οἱ περὶ Ἐπίκουρον, γινομένους αὐτοὺς καὶ φθειρομένους ὑπέθεντο ἐπ' ἄπειρον, ἄλλων μὲν ἀεὶ γινομένων ἄλλων δὲ φθειρομένων....... τῶν δὲ ἕνα μόνον κόσμον λεγόντων οἱ μὲν ἀγένητόν τε ἀπὸ χρόνου καὶ ἄφθαρτον αὐτὸν λέγοντες ἀΐδιον καὶ τὴν κίνησιν ὑπετίθεντο, ὥσπερ Πλάτων καὶ Ἀριστοτέλης. γενητὸν δὲ καὶ φθαρτὸν τὸν ἕνα*

1) *Diog. L.* IX, 57. *κόσμους ἀπείρους.* *Euseb.* praep. ev. 17. *ἀπείρους τε εἶναι τοὺς κόσμους.* *Stob.* I, 23. p. 496. *Ἀναξίμανδρος, Ἀναξιμένης, Ἀρχέλαος, Ξενοφάνης, Διογένης, Λεύκιππος, Δημόκριτος, Ἐπίκουρος, ἀπείρους κόσμους ἐν τῷ ἀπείρῳ κατὰ πᾶσαν περιαγωγήν,* ubi postrema verba ad atomorum circumactiones spectare recte ab *Heerenio* observatum esse videtur. *Theodor.* gr. aff. cur. p. 58, 34.

2) *Placit.* II, 1. p. 391. *Διογένης τὸ μὲν πᾶν ἄπειρον, τὸν δὲ κόσμον πεπεράνθαι.*

3) Mirum est, qui *Diog. L.* l. c. Apolloniatae *κενὸν ἄπειρον* tribuere possit. Ansam huic errori praebuisse videtur, tum quod pisces aërem ex aqua trahere ore, per bronchias emissa aqua, vacuefacto dicebat; tum vero etiam quod fr. VI. in. aërem *ἐπι πᾶν ἀφῖχθαι* affirmabat. Nam quum quacunque perveniret aër — ita recentiores isti animo cogitasse videntur — neque antea adesset; infinitum spatium, quod nunc explet, antea vacuum fuerit, necesse est, quandoquidem praeter aërem nihil est. Sed sufficit, hanc rem tetigisse, quum nullo pacto hoc dogma Diogeni vindicari possit.

κόσμον ποιοῦσιν, ὅσοι ἀεὶ μὲν φασιν εἶναι κόσμον, οὐ μὴν τὸν αὐτὸν ἀεί, ἀλλὰ ἄλλοτε ἄλλον γινόμενον κατά τινας χρόνων περιόδους, ὡς Ἀναξιμένης τε καὶ Ἡράκλειτος καὶ Διογένης καὶ ὕστερον οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς. In quo id tantum addubitari potest, an iure Diogenes iam *certas quasdam periodos*, quibus mundum renovari statuerit, constituisse putandus sit, praesertim quum facile accidere possit, ut Stoicum Diogenem, quem magnum, ut vocant, annum computasse constat, Simplicius cum Apolloniate nostro commutarit. Cf. *Stobaeus* I, 9. p. 264. Ἡράκλειτος ἐκ μυρίων ὀκτακισχιλίων ἐνιαυτῶν ἡλιακῶν· Διογένης ὁ Στωϊκὸς ἐκ πέντε καὶ ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων ἐνιαυτῶν τοσούτων, ὅσος ἦν ὁ κατ' Ἡράκλειτον ἐνιαυτός. Quem eundem locum habent *Placita* II. p. 418., ubi tamen ὁ Στωϊκὸς omissum est. De vera autem huius loci sententia cf. *Schleiermach.* Heraclit. p. 397. not. *Ritter.* Ion. Ph. p. 133.

INDEX

NONNULLARUM VOCUM, QUAE IN HOC LIBRO ILLUSTRANTUR.

CORRIGENDA, EMENDANDA, ADDENDA.

P. 12. nota 2. pro Physike pone Physiker.
- 28. in not. columnn. I, lin. 9 ab ima pro ὄρκεις pon. ὄρχεις.
- 30. lin. 1. pro et Simpl. pone e Simpl.
- 33. in not. columnn. I, lin. 11 pro λόγιον pone λόγων.
ibid. columnn. II. lin. 13. pr. Hanc pone Haec.
P. 40. capitis 30 lin. 1. pro ubi pone uti.
- 50. in not. columnn. II, lin. 28 pro vulari pone vulgari.
- 51. Notarum ad fr. IV ultimam: „καὶ αὐτὸ μὲν τοῦτο“ cet, transfer in pag. 52 ad frag. V.
- 54. lin. 14. pro Anaximes pone Anaximenes.
- 56. lin. 7. scribe: „non tam id quaerendum.“
- 64. not. columnn. II. lin. 8. pro γευσάμενσι pone γευσάμενοι.
ibid. lin. 5 sublatum velim locum ex Hom. Il. 1, 576, utpote non satis aptum. Contra adde locos clarissimos e Xenophonte, Anab. 2, 3, 16. ἐνταῦθα καὶ τὸν ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος πρῶτον ἔφαγον οἱ στρατιῶται καὶ οἱ πολλοὶ ἐθαύμαζον τό τε εἶδος καὶ τὴν ἰδιότητα τῆς ἡδονῆς. Cyrop. 8, 2, 4. ἔτι δὲ καὶ οὐ τούτων μόνον ἕνεκα, τῶν εἰρημένων εὐφραίνει τὰ πεμπόμενα παρὰ βασιλέως, ἀλλὰ καὶ τῷ ὄντι καὶ ἡδονῇ πολὺ διαφέρει τὰ ἀπὸ τῆς βασιλέως τραπέζης.
P. 65. not. col. II. lin. 6. tolle „Plat. Phaedr. — αὐτὸν“ et pone: Plat. Prot. p. 310. b. ibid. Stallb.
ibid. lin. 13. ab ima pro devenerint pone: devenerit.
P. 66. not. col. I. lin. 2 pro excipiens pone: excipientem.
ibid. col. II. lin. 15 pro promiscae pone: promiscue.
P. 67. lin. 9 ab ima pro quod pone: quo.
- 68. lin. 1 pro dubitari pone: dubitare.
- 73. lin. 8 dele: multiplici.
- 98. lin. 5 pro palna leg. plana.
- 102. not. lin. 6 ab ima: pone comma post φυσικοὶ et dele post οὗτοι.
- 103. lin. 1 pro eodem pone: eodemque.
- 109. lin. 19 pro factum est leg. f. esset.
ibid. lin. 8 ab im. pro Empedoclemque leg. Empedoclemque.
P. 110. lin. 8 pro naturum leg. naturam.
- 118. in fine not. 1 adde: sed nunquam, quod sciam, de περιέχοντι.
- 129. lin. 18 restatuere pro restituere.
- 138. lin. 15 putabant pro putet.
